


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITT. EMANUELE ROMA
240
P
31
Vol. 39



BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OPERA OMNIA

ET

BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

CONTINUATIONIS BULLARII

TOMUS IX.



AM

BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

SUMMORUM PONTIFICUM

BENEDICTI XIV. CLEMENTIS XIII. CLEMENTIS XIV.
PII VI. PII VII. LEONIS XII. PII VIII.

CONSTITUTIONES, LITTERAS IN FORMA BREVIS,
EPISTOLAS AD PRINCIPES VIROS, ET ALIOS,
ATQUE ALLOCUTIONES COMPLECTENS.

TOMUS NONUS



PII VIII.

CONTINENS PONTIFICATUM

ANNUM PRIMUM ET SECUNDUM.



PRATI
IN TYPOGRAPHIA ALDINA
MDCCCLVI.

PIUS VIII.

BULLARIUM

PIUS VIII.

ANNO PRIMO

Dat. die 7. apr. 1829. Anno I.

I.

Ampliatio sodalitii laicorum sub titulo sancti Antonii Patavini loci Barletta dioecesis Tranensis, et concessio novorum privilegiorum facta confratribus.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut Nobis exponi curarunt dilecti filii prior, et confratres cujusdam pii sodalitii laicorum in loco Barletta nuncupato Tranensis dioecesis rite, prout asseritur, erecti, et a divo Antonio Patavino titulum assumentis, plurimum ad divini cultus incrementum, fideliumque utilitatem conducat, prout asseritur, hujusmodi sodalitii ampliatio, privilegiorumque augmentum, eorum nomine suppliciter petitum fuit a Nobis, ut sodalitium praedictum, quod alii sub eodem titulo in urbe erecto, uti asseritur, est aggregatum, archisodalitii titulo et privilegiis donemus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos praedictos oratores, ac omnes quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, sodalitium praedictum sancti Antonii Patavini, dummodo canonice sit erectum, et hujus almae urbis Nostrae alii ejusdem tituli et instituti sodalitio aggregatum, vel in posterum aggregetur, in archiconfraternitatem cum omnibus juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis et consuetis, sine tamen cujusquam praejudicio, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae officialibus, et confratribus praesentibus, et futuris, ut ipsi alia quaecumque sodalitia ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erecta eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis rec. mem. Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri aggregare, illisque omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi sodalitio sic in archiconfraternitatem a Nobis erecto concessas, communicare libere et valide possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis facultatem concedimus, et impertimur.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respectiva inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si — Clausula sublata, et decretum irritans.

secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, supradicti sodalitii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus ac personis sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter at expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 7. apr. 1829. Anno I.

II.

Deputatio legati a latere pro gubernio provinciae Bononiensis in ditione Pontificia.

Dilecto filio Nostro Thomae S. R. E. diacono Cardinali Bernetti noncupato in civitate et provincia Bononiensi Nostro, et apostolicae Sedis legato.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili Noster,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Quo magis civitas, et provincia quaedam nobilitate, dotibusque suis, caeteris praestat eo majorem curam, studiumque Nostrum explicemus oportet rationibus adhibendis, quibus ejus regimini provideatur. Neque vero huic Nostro studio respondere melius uberiusque Nos posse arbitramur, quam si ei potissimum moderandam hujusmodi provinciam committamus, cui maxime confidimus, cujus que in publicis administrandis rebus sagacitas et prudentia, integre sancteque gestorum multarum experimento probata est, unde in firmissimam spem merito adducimur fore, ut populi ejus subesse laetentur auctoritati, providasque propterea in eo prae caeteris deligendo Nostras curas gratas, et acceptas habeant.

Ratio concessionis. §. 2. Quum Nos itaque noverimus civitatem, et provinciam Bononiensem pluribus aliis longe praestare Nostri status ecclesiastici civitatibus et provinciis, ac eamdem idcirco ab apostolica dignatione Nostra praecipuo quodam modo esse merito respiciendam, te, dilecte fili Noster qui virtutis, prudentiae, fidelitatis, scientiae, probitatis, et diligentiae in aliis, quibus ad hanc diem functus es muneribus tot praeclara specimina edidisti, ut eam ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum regendam mittendum esse decrevimus.

Electio legati. §. 3. Cum autem in cardinalitia fulgeas dignitate, decere quam maxime, et prorsus convenire ducimus, vi eorum, quae in motu-proprio fel. rec. Leonis XII. decessoris Nostri die quinta octobris millesimo octingentesimo vigesimo quarto praescripta sunt, ut tu Nostri legati in temporalibus titulum assumas, provincia vero tibi concredita, donec et quousque suberit administrationi tuae nomen legationis obtineat. Et quoniam tam grave, et magnum est onus, quod zelo fideique tuae committimus, atque adeo multiplices sunt, et late patent curae illae, quibus tibi erit assidue vacandum, ut rite recteque, quo Nostra omnino spectant desideria, in ea administratione verseris, nihil magis opportunum esse censuimus; quam si re illa omni liberaremus, quemadmodum revera te liberamus, sollicitudinis parte, quae respicere posset tuum in res spirituales influxum, qui canonicis regulis non adversantibus, a legatis, in ista provincia Nostris pridem exercebatur.

Exemptio legati a curis spiritualibus. §. 4. Quapropter dum te legatum civitatis, et legationis Bononiensis in temporalibus, juxta fines eidem legationi jam per fel. rec. Pium pp. VII. praedecessorem Nostrum in suo motu-proprio diei sextae julii anni millesimi octingentesimi decimi sexti praefinitos, constituimus, et deputamus, volumus omnino te nulli prorsus immisceri spiritualis illius, at ecclesiasticae potestatis parti, quae ad archie-

piscopos, episcopos legationis tuae pertinet, quam intactam, et integram ipsis ita manere volumus, ut eam ab omni jurisdictione tua indipendenter exerceant. Dum vero Nos omni te in ecclesiasticis rebus, atque in spirituali regimine tuae legationis jurisdictione destitutum esse decernimus, oblivisci tamen non possumus Nostram te intra legationis tuae limites gerere principis supremi in temporalibus rebus, negotiisque personam, proptereaque tibi ab omnibus debitum honorem ac reverentiam esse praestandam.

Jurisdictio legati in civilibus.

§. 5. Ea propter volumus, et mandamus, ut in civilibus, politicisque actibus, supra caeteros quoscumque, quavis dignitate, vel episcopali, vel etiam cardinalitia fulgentes, etiamsi in ordine, aut creatione tibi praecedant, praeeminentia gaudere debeas ad eam prorsus rationem, qua cardinales legati olim a latere istius provinciae gaudebant. Quod vero ad ecclesiasticas, sacrasque pertinet caeremonias, ac solemnitates, volumus tibi illas tantum honoris significationes tribui, quas caeremoniale episcoporum S. R. E. cardinalibus etiam non legatis cum ecclesiae functionibus praesentes adsunt, ab episcopis locorum, etiam cardinalitia dignitate fulgentibus tribuendas esse praescribit. Ad te autem absolute, et privative pertinebit plena jurisdictio, et ejusdem liberum exercitium in temporalibus negotiis et rebus, omnibusque actibus a Nostro imperio manantibus, quin elios quivis qualibet dignitate vel episcopali, vel archiepiscopali, vel etiam cardinalitia praefulgens, hujusmodi exercitio nullatenus valeat obsistere, impedimento esse, aut quavis ratione sa se in negotiis, rebus actibusque illis immiscere. Et quamquam tua sit tibi auctoritate utendum eo modo, quo praefinitum a Nobis est omnibus illis, qui Nostram gerunt personam, Nostraque in provinciis ecclesiasticae ditionis vice funguntur, ut peculiari tamen, ac splendidiori bonore tuam prosequamur dignitatem, facultates tuas latius protendimus, quam sicunt caeteris Nostro loco et nomine se gerentibus praestituti, ratione scilicet et modo inferius praescribendis, volentes temen in reliquis omnibus, quae in hisce literis Nostris minime sunt specialiter commemorata, ea omnia in tua etiam legatione a te omnino exequenda esse, quae in memorato decessoris Nostri motu-proprio diei quintae octobris elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi quarti sunt generaliter constituta.

Jus approbandi tabellas praeventivas communitatum.

§. 6. Primo itaque secus ac aliarum provinciarum delegatis est demandatum, tibi facultates impertimur approbandi omnes tabellas ita nuncupatas praeventionis, quae a communitatibus tuae legationi subjectis parabuntur, easdem prout oportuerit, attemperandi, et corrigendi, perinde ut expedire, ac opportunum esse duxeris, atque similiter comprobandi, et definitive sanciendi redditiones rationum quibusdam temporibus, ut in decessoris Nostri memorato motu-proprio statuitur, earumdem tabellarum vigore a communitatibus conficiendas; recensitas autem tabellas, et subsequentes sententias censorias a te comprobatas, aut attemperatas, et emendatas, ad Nostram congregationem Boni Regiminis mitti curabis ea solum de causa, ut congregatio ipsa earum habeat notitiam, si forte aliquod ei lumen in opportunitatibus afferre possent.

Jus privativum moderandi resolutiones consiliorum communitatum.

§. 7. Tibi deinde conferimus privativum jus concedendi, differendi, et negandi resolutionibus, quas vocant, consiliariis tam civitatis Bononiensis quam aliarum locorum, quae tuae jurisdictioni subsunt, approbationem, volentes hasce resolutiones, simul ac a te fuerint approbatae, executioni mandari, quantumvis ad Nostra tribunalia urbis confugiatur, a quibus interim nentiquam retardari earum poterit executio. Ut tua praeterea dignitas in honore magis magisque babeatur, et ministrorum tibi subjectorum facilius tibi conciliet obsequium has tibi circa civitatum, et locorum guberuia quae post adeptam a te legationis tuae possessionem, in ea vacare contigerit, facultates impertimur, nempe ut ad ea guberuia, quae primi ordinis sunt, designes Nobis, nominesque illos, quos iis praefici posse duxeris, ut, si eos approbatione Nostra dignos judicemus, literas in forma brevis, ad tramites praedicti motus-proprii, iis expediri jubeamus; ad caetera vero, eos, qui tibi probabuntur, eligas, reservata dumtaxat Nobis eorum confirmatione, ac literarum patentium expeditione. Ut autem magis magisque iis, qui Nostram referunt personam, debita concilietur reverentia, volumus, ut cum illustrioribus civitatibus agetur, maximam habeas rationem generis, atque existimationis eorum, quos eis guberuandis duxeris

praeficiendos, ita ut eos Nobis nomines, atque praesentes, qui ad caeteras necessarias qualitates, aut generis nobilitatem, aut peculiarem quamdam famam, quam in gubernando sibi comparaverint adjungant. Ut autem possis moderari commodius, et cohibere illos, qui in administratione sua a tua pendent jurisdictione, volumus etiam, ut in tua facultate sit positum, gubernatores, quicumque demum ii fuerint, cum id expedire censueris, ab exercitio functionum suarum suspendere, nec non alios in eorum locum provisionis causa sufficere, suspensionis tamen a te decretae causis et rationibus Nostrae secretariae status illico significatis, ut deinde illi, vel in pristinum restituantur, vel munere suo absolute priventur, prout, iisdem perpensis rationibus a Nobis decernetur, et demandabitur.

Jus eligendi officiales ad civilem, politicam et criminalem administrationem, nec non tutores, curatores et administratores privatos

§. 8. Iisdem de causis volumus a te omnes ordinum inferiorum deligi officiales, sive ad civilem, sive ad politicam et criminalem ii pertineant administrationem. Eos tantum excipimus, qui aerarii Nostri administrationi procurandae quolibet tandem modo destinati sunt, qui quidem in omnibus iis ad hoc idem aerarium pertinentibus, a Nostro thesaurario generali, et a reverendissimo cardinali camerario respective pendere debent. Cum vero cordi Nobis summopere sit non publicarum modo, sed privatarum etiam rerum administratio dilectissimos subditos Nostros, eorumque bona, et substantias peculiares attingens, et volentes Nos iis majori celeritate in omni tuae legationis a Nostra urbis Sede dissitae extensione consulere, tibi facultatem impertimur eligendi tua auctoritate, et absque judiciariis solemnitatibus tutores, curatores, et administratores privatorum patrimoniorum, cum scilicet il a legibus requiruntur ob pupillarem, aut minorem aetatem, ob mentis imbecillitatem, ob prodigalitatem, et absentiam, nolentes tamen has partes judicibus, ac tribunalibus, quibus illae adhuc ordinariis competunt viis abjudicare; qui quidem judices, ac tribunalia hanc jurisdictionem suam exercere libere poterunt, in casibus quibus tu extraordinariis usus non fueris facultatibus.

Jus permittendi adoptiones, emancipationes et prorogandi tempora legalia.

§. 9. Similiter tibi concedimus auctoritatem, cum ea uti volueris, ineundi absque ulla judicii solemnitate adoptiones, emancipationes, caeterosque legitimos actus, nec non impertiendi prudenti arbitrio tuo veniam aetatis, prorogationes temporis incipiendis, et absolvendis legalibus inventariis praefiniti, aere alieno gravatis, cessionis bonorum absque ignominia, beneficio iis vero in aetate septuaginaria constitutis personalium privilegiorum concessione subveniendi, concedendi restitutiones in illis omnibus casibus, in quibus pro earum impetratione principis imploratur auctoritas, dummodo nulla praeiverit judicialis contestatio; prolem naturalem declarandi legitimam ea plane ratione, iisque regulis, quibus principis rescripto solent hujusmodi legitimationes iniri, atque caeteros similes generatim exercendi actus, quorum causa ad supremam confugitur potestatem, omni tamen judiciariae, et contentiosae auctoritatis exercitio tibi constanter interdicto.

Jus decernendi diminutionem poenarum in certis casibus.

§. 10. Omnibus his extraordinariis concessionibus plane insolitam, et in alio quolibet loco supremae Nostrae potestati reservatam, tandem adhuc adjicimus concessionem, ut nempe quam in te, dilecte fili Noster, collocatam habemus fiduciam magis magisque pateat, facultatem impertimur tibi aliquam in peculiaribus circumstantiis concedendi poenarum diminutionem, non tamen capitalium, quibus tribunalia tuae legationis criminum reos condemnaverint, minime dubitantes, te ob illum, quo flagras zelum sic ea usurum, ut nullum inde ad patranda delicta prodire valeat incitamentum, sed eo tantum spectes, ut familiis reapse infelicibus levamen duntaxat aliquod afferatur.

Exceptio specialis.

§. 11. Excipimus autem ab hac facultate sequentium criminum reus, scilicet laesae majestatis tam divinae, quam humanae, homicidii, et armorum in primo gradu vetitorum delationis, excipimusque praeterea illos, qui ad triremes, ad opus, aliasque poenas damnati, ad locum sententia judicum constitutum missi jam fuerint. Tu igitur, dilecte fili Noster, divina gratia, et apostolico favore suffultus, hoc tibi impositum onus cum gratia Nostrae benedictionis suscipiens, illud sic strenue exequare, ut ex fructuosis tuis laboribus, caelesti gratia tibi favente, sperati fructus obveniant. Tuque, praeter humanam laudem illam, quaa per pias causas gerentibus pro retributione impenditur, palmam gloriae consequi merearis.

Fides habenda transumptis.

§. 12. Volumus insuper ut praesentium transumptis etiam impressis, manu tamen ali-

cujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 27. apr. 1829. Anno I.

III.

Deputatio legati a latere pro gubernio provinciae Foroliviensis.

Dilecto filio Nostro Thomae S. R. E. diacono Cardinali Riario-Sforza nuncupato in civitate, et provincia Foroliviensi Nostro, et Sedis apostolicae legato.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili Noster,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Quo magis civitas, et provincia quaedam nobilitate, dotibusque suis caeteris praestat, eo majorem curam, studiumque Nostrum explicemus oportet rationibus adhibendis, quibus ejus regimini provideatur. Neque vero huic Nostro studio melius uberiusque respondere Nos posse arbitramur, quam si ei potissimum moderandam hujusmodi provinciam committamus cui maxime confidimus, cujusque in publicis administrandis rebus sagacitas, et prudentia integre sancteque gestorum munerum experimento probata est, unde in firmissimam spem merito adducimur fore, ut populi ejus subesse auctoritati laetentur, providasque propterea in eo prae caeteris deligendo Nostras curas gratas, et acceptas habeant.

Ratio concessionis. §. 2. Quum Nos itaque noverimus civitatem et provinciam Foroliviensem pluribus aliis Nostri ecclesiastici status civitatibus, et provinciis longe praestare, eamdemque idcirco apostolica dignatione Nostra praecipuo quodam modo esse respiciendam, te qui fidelitatis, prudentiae, doctrinae, probitatis, et diligentiae in aliis, quibus ad hanc diem functus es muneribus, tot praeclara specimina edidisti, ad eam ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum regendam mittendum esse decrevimus. Quum autem tu cardinalitia fulgeas dignitate, decere quammaxime, et prorsus convenire ducimus vi eorum, quae in motu-proprio fel. rec. Leonis pp. XII. decessoris Nostri die quinta octobris millesimo octingentesimo vigesimo quarto praescripta sunt, ut tu Nostri legati in temporalibus titulum assumas; provincia vero tibi concredita, donec, et quousque suberit administrationi tuae, nomen legationis obtineat. Et quoniam tam grave, et magnum est onus, quod zelo, fideique tuae committimus, atque adeo multiplices sunt, et late patent curae illae, quibus tibi erit assidue vacandum, ut rite, recteque quo Nostra omnino spectant desideria, in ea administratione verseris, nihil opportunius fore censuimus, quam si te illa omni liberaremus, quemadmodum revera liberamus sollicitudinis parte, quae respicere posset tuum in res spirituales influxum, qui canonicis regulis non adversantibus a legatis in ista provincia Nostris pridem exercebatur.

Liberatio legati a curis spiritualibus. §. 3. Quapropter dum te legatum civitatis, et legationis Foroliviensis in temporalibus juxta fines eidem legationi jam per fel. rec. Pium pp. VII. praedecessorem Nostrum in suo motu-proprio diei sextae julii anno millesimo octingentesimo decimo sexto praefinitos, constituimus, et deputamus, volumus omnino te nulli prorsus immisceri spiritualis illius, et ecclesiasticae potestatis parti, quae ad archiepiscopos et episcopos legationis tuae pertinet, quam partem intactam, et integram ipsis ita manere volumus, ut eam ab omni jurisdictione tua independenter exerceant. Dum vero Nos omni te in ecclesiasticis rebus, atque in spirituali regimine tuae legationis jurisdictione destitutum esse decernimus, oblivisci tamen non possumus Nostram te intra legationis tuae limites gerere principis supremi in temporalibus rebus, negotiisque personam, proptereaque tibi ab omnibus debitum honorem, et reverentiam esse praestandam.

Jurisdictio legati in civilibus et politicis actibus. §. 4. Ea propter volumus, et mandamus ut in civilibus, politicisque actibus supra caeteros quoscumque quavis dignitate vel episcopali, vel archiepiscopali, vel etiam cardinalitia fulgentes, etiamsi in ordine, aut creatione tibi praecedant, praeeminentia gaudere debeas ad eam prorsus rationem, qua cardi-

nales legati olim a latere istius provinciae gaudebant. Quod vero ad ecclesiasticas, sacrasque pertinet caeremonias, ac solemnitates volumus tibi illas tantum honoris significationes tribui, quas caeremoniale episcoporum S. R. E. cardinalibus etiam non legatis, rum ecclesiae functionibus praesentes adsunt, ab episcopis locorum etiam cardinalitia dignitate fulgentibus, tribuendas esse praescribit. Ad te autem absolute, et privative pertinebit plena jurisdictio, et ejusdem liberum exercitium in temporalibus negotiis et rebus, omnibusque actibus a Nostro imperio manantibus, quin alius quivis qualibet dignitate vel episcopali, vel archiepiscopali, vel etiam cardinalitia praefulgens, hujusmodi exercitio nullatenus valeat obsistere, impedimento esse, aut quavis ratione se se in negotiis, rebus, actibusque illis immiscere. Et quamquam tua sit tibi auctoritate utendum eo modo quo praefinitum a Nobis est omnibus illis, qui Nostram gerunt personam, Nostraque in provinciis ecclesiasticae ditionis vice funguntur, ut peculiari tamen, ac splendidiori honore tuam prosequamur dignitatem, facultates tuas latius protendimus quam sinant caeteris Nostro loco, et nomine se gerentibus praestituti, ratione scilicet, et modo inferius praescribendis, volentes tamen in reliquis omnibus, quae in hisce literis Nostris minime sunt specialiter commemorata, ea omnia in tua etiam legatione a te omnino exequenda esse, quae in memorato decessoris Nostri motu-proprio diei quintae octobris elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi quarti sunt generaliter constituta.

Jus approbandi tabellas praeventivas communitatum.

§. 5. Primo itaque secus ac aliarum provinciarum delegatis est demandatum, tibi facultates impertimur approbandi omnes tabellas ita nuncupatas praeventionis, quae a communitatibus tuae legationi subjectis parabuntur, easdem, prout oportuerit, attemperandi et corrigendi perinde ut expedire, ac opportunum esse duxeris, atque similiter comprobandi, et definitive sanciendi redditiones rationum quibusdam temporibus, ut in decessoris Nostri memorato motu-proprio statuitur, earumdem tabellarum vigore a communitatibus conficiendas: recensitas autem tabellas, et subsequentes sententias censorias a te comprobatas, aut attemperatas, et emendatas, ad Nostram congregationem Boni Regiminis mitti entrabis, ea solum de causa, ut congregatio ipsa earum habeat notitiam, si forte aliquod ei lumen in opportunitatibus afferre possent.

Jus privativum moderandi resolutiones consiliarias.

§. 6. Tibi deinde conferimus privativum jus concedendi, differendi et negandi resolutionibus, quas vocant, consiliariis tam civitatis Foroliviensis, quam aliorum locorum, quae tuae jurisdictioni subsunt, approbationem, volentes hasce resolutiones, simul ac a te fuerint approbatae, executioni mandari, quantumvis ad Nostra tribunalia urbis confugiatur, a quibus interim neutiquam retardari earum poterit executio. Ut tua praeterea dignitas in honore magis magisque habeatur, et ministrorum tibi subjectorum facilius tibi concilietur obsequium, has tibi circa civitatum, et locorum gubernia, quae post adeptam a te legationis tuae possessionem in ea vacare contigerit, facultates impertimur, nempe ut ad ea gubernia, quae primi ordinis sunt, designes Nobis, nominesque illos, quos iis praefici posse duxeris, ut si eos approbatione Nostra dignos judicemus, literas in forma brevis ad tramites praedicti motus proprii iis expediri jubeamus; ad caetera vero, eos, qui tibi probabuntur, eligas, reservata dumtaxat Nobis eorum confirmatione, ac literarum patentium expeditione. Ut autem magis, magisque iis, qui Nostram referunt personam, debita conciliëtur reverentia, volumus ut cum illustrioribus civitatibus agetur, maximam habeas rationem generis, atque existimationis eorum, quos iis gubernandis duxeris praeficiendos, ita ut eos Nobis nomines, atque praesentes, qui ad caeteras necessarias qualitates, aut generis nobilitatem, aut peculiarem quamdam famam, quam in gubernando sibi comparaverint, adjungant.

Facultas suspendendi gubernatores ab exercitio functionum suarum.

§. 7. Ut autem possis moderari commodius, et cohibere illos, qui in administratione sua a tua pendent jurisdictione, volumus etiam ut in tua facultate sit positum, gubernatores, quicumque demum ii fuerint, cum id expedire censueris, ab exercitio functionum suarum suspendere; nec non alios in eorum locum provisionis causa sufficere, suspensionis tamen a te decretae causis, et rationibus Nostrae secretariae status illico communicatis, ut deinde illi vel in pristinum restituantur, vel munere suo absolute priventur; prout, iisdem perpensis rationibus a

Nobis decernetur, et demandabitur. Iisdem de causis volumus a te omnes ordinum inferiorum deligi officiales, sive ad civilem, sive ad politicam, et criminalem ii pertineant administrationem. Eos tantum excipimus, qui aerarii Nostri administrationi procurandae quolibet tandem modo destinati sunt, qui quidem in omnibus iis ad hoc idem aerarium pertinentibus, a Nostro thesaurario generali, et a reverendissimo cardinali camerario respective pendere debent.

Jus concedendi tutores curatores et administratores privatorum.

§. 8. Cum vero cordi Nobis summopere sit non publicarum modo, sed privatarum etiam rerum administratio, dilectissimos subditos Nostros, eorumque bona, et substantias peculiares attingens, et volentes Nos iis majori celeritate in omni tuae legationis a Nostra urbis Sede dissitae extensione consulere, tibi facultatem impertimur eligendi tua auctoritate, et absque judiciariis solemnitatibus tutores, curatores, et administratores privatorum patrimoniorum, cum scilicet ii a legibus requirontur ob pupillarem, aut minorem aetatem, ob mentis imbecillitatem, ob prodigalitatem, et absentiam, nolentes tamen has partes judicibus, ac tribunalibus, quibus illae adhuc ordinariis competunt viis, abjudicare; qui quidem judices, ac tribunalia hanc jurisdictionem suam exercere libere poterunt in casibus, quibus in extraordinariis usus non fueris facultatibus.

Jus approbandi adoptiones, emancipationes, aliosque actus legitimos.

§. 9. Similiter tibi concedimus auctoritatem, cum ea uti volueris, ineundi absque ulla judicii solemnitate adoptiones, emancipationes, caeterosque legitimos actos, nec non impertiendi prudenti arbitrio tuo veniam aetatis, prorogationes temporis incipiendis, et absolvendis legalibus inventariis praefiniti, aere alieno gravatis, cessionis bonorum absque ignominia, beneficio iis vero in aetate septuagenaria constitutis personalium privilegiorum concessione subveniendi, concedendi restitutiones in integrum in illis omnibus casibus, in quibus pro earum impetratione principis imploratur auctoritas, dummodo nulla praeiverit judicialis contestatio, prolem naturalem declarandi legitimam ea plane ratione, iisque regulis, quibus principis rescripto solent hujusmodi legitimationes iniri, atque caeteros similes generatim exercendi actus, quorum causa ad supremam confugitur potestatem, omni tamen judiciariae, et contentiosae auctoritatis exercitio tibi constanter interdicto. Omnibus his extraordinariis concessionibus plane insolitam, et in alio quolibet loco supremae Nostrae potestati reservatam, tandem adhuc adiicimus concessionem, ut nempe quam in te, dilecte fili Noster, collocatam habemus fiduciam magis magisque pateat facultatem impertimur tibi aliquam in peculiaribus circumstantiis concedendi poenarum diminutionem, non tamen capitalium, quibus tribunalia tuae legationis criminum reos condemnaverint, minime dubitantes, te ob illum quo flagras zelum sic ea usurum, ut nullum inde ad patranda delicta prodire valeat incitamentum, sed eo tantum spectes, ut familiis reapse infelicibus levamen dumtaxat aliquod afferatur.

Reservatio specialis.

§. 10. Excipimus autem ab hac facultate sequentium criminum reos, scilicet laesae majestatis tam divinae, quam humanae, homicidii, et armorum in primo grado vetitorum delationis, excipimusque praeterea illos, qui ad triremes, ad opus aliasque poenas damnati, ad locum sententia judicum constitutum missi jam fuerint. Tu igitur, dilecte fili Noster divina gratia, et apostolico favore suffultus, hoc tibi impositum onus cum gratia Nostrae benedictionis suscipiens, illud sic strenue exequare, ut ex fructuosis tuis laboribus coelesti gratia tibi favente, sperati fructus obveniant. Tuque praeter humanam laudem illam, quae per pias causas gerentibus pro retributione impenditur, palmam gloriae consequi merearis.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus insuper ut praesentium literarum transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

IV.

Dat. die 17. apr. 1829. Anno I.

Concessio tituli marchionis Verdefiure facta Aloisio Puccatti patricio Cingulano, et ejus successoribus.

Dilecto filio
Aloisio Puccetti patricio Cingulano.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Quamquam ille clarus, ut habet s. Chrysostomus, ille sublimis, ille nobilis, illa tum integram nobilitatem suam potet, si dedignetur servire vitiis, et ab eis non superari, nobilitas tamen haud omnino contemnenda, quum aliquem usum in morum integritatem afferre, et ipsi Ecclesiae doctores existiment. Hoc sane spectant Romani pontifices, pietatique, ac moribus prodesse nituntur, ubi vel novos homines nobilitatis titulis atque insignibus ornant, vel aliquo jam titulo insignitis viris majora, atque illustriora praesidia dignitatis indulgent.

Ratio concessionis. §. 2. Cum igitur tu in patriciani Cinguli nobilitatem relatus eximiis virtutibus orneris, haud possumus quin a Nostri etiam pontificatus exordio peculiare benevolentiae Nostrae testimonium tibi donemus, eo vel magis quod ea in civitate ortum duxeris, in qua et Nos ipsi.

Tenor concessionis. §. 3. Nos ergo te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, quum praedium, cui nomen Verdefiore possideas, auctoritate Nostra apostolica te, tuosque posteros legitimos, ac naturales, dummodo in catholica religione perseverent, marchiones Verdefiore dicimus, atque creamus, vobisque concedimus, ut hujusmodi titulo etiam in apostolicis literis, publicisque tabulis appellemini, ac singulis quibusque juribus, honoribus, atque indultis cum hoc titulo conjunctis uti, et frui possitis, servatis tamen iis omnibus quae in constitutione fel. rec. Pii VII. praedecessoris Nostri servari mandantur.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

V.

Dat. die 17. apr. 1829. Anno I.

Concessio tituli comitis facta favore Francisci Pergoli Campanelli Cingulano, et ejus descendentiae.

Dilecto filio
Francisco Pergoli Campanelli Cingulano.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Natalium splendor, virtutum ornatus, ac singularis observantia in hanc Petri cathedram, ad quam ex aeternae mentis inaccesso consilio nuper fuimus evecti, Nos quidem inducunt, ut te, quem Cingulanum civem Nostrum habemus, quemque peculiari benevolentia complectimur, aliquo nobilitatis titulo decoremus. Prooemium.

§. 2. Hujusmodi igitur tibi, tuisque posteris honorem deferre cupientes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, auctoritate Nostra apostolica te, tuosque posteros legitimos, ac naturales, dummodo in catholica religione perseverent, comites dicimus, atque creamus, ac vobis singula quaeque privilegia, et indulta quocumque nomine designanda deferimus, quibus alii comites ex juris praescripto, vel ex usu, et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel uti, perfrui possunt, et poterunt. Tenor concessionis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

VI.

Dat. die 21. apr. 1829. Anno I.

Ampliatio indulgentiarum concessarum a fel. re. Clemente papa XII. iis qui visitaverint aliquam ecclesiam ordinis sancti Francisci de Paula.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur literae ad rem datae a Clemente XII.

§. 1. Alias fel. re. Clemens pp. XII. praedecessor Noster omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis ordinis s. Francisci de Paula, vel quamlibet ecclesiam in iis regionibus in quibus ecclesia ejusdem ordinis non reperitur, in tredecim feriis sextis continuis, vel ante festum diem ejusdem s. Francisci de Paula, vel in quocumque alio tempore devote visitassent, nonnullas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes perpetuo concessit, uti ex memoratis literis in simili forma brevis tunc expeditis siquidem constat tenoris sequentis videlicet.

Tenor constitutionis Clementinae.

§. 2. Clemens pp. XII. ad perpetuam rei memoriam. Nuper editae a Nobis fuerunt aliae in simili forma brevis literae tenoris qui sequitur videlicet « Clemens pp. XII. ad perpetuam rei memoriam. Coelestium munerum dispensatio a pastorum principe Jesu Christo per ineffabilem divinae bonitatis suae abundantiam Nobis creditam postulat, ut tamquam fideles et prudentes dispensatores ea ad Dei gloriam adaugendam debitum sanctis suis cultum exhibendum, et aeternam animarum christifidelium salutem procurandam conducentia ita elargiamur, ut sanctarum siquidem indulgentiarum munus pie sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. Itaque auctoritate apostolica tenore praesentium in forma brevis literarum perpetuo revocantes omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes tam a praedecessoribus Nostris, quam a Nobis ipsis ad hanc usque diem quomodolibet concessas ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in tredecim sextis feriis a s. Francisco de Paula, ut asseritur, institutis lucrifaciendas, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui in tredecim sextis feriis continuis, vel ante festum ejusdem s. Francisci de Paula, vel in alio anni tempore aliquam ex ecclesiis ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum tam erectis quam in posterum erigendis visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint semel tantum in anno in una ex dictis tredecim sextis feriis per eos ad eorum libitum respective eligenda plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero duodecim sextis feriis hujusmodi praemissa peragentibus septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel pro tempore existentis correctoris generalis ejusdem ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo septingentesimo trigesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono. D. cardinalis Passioneus.

Ratio novae concessionis factae ab eodem Clemente XII.

§. 3. Quoniam autem in aliquibus christiani orbis regionibus aut nullae reperiuntur ecclesiae eorumdem fratrum Minimorum, aut si quae sunt adeo remotae existunt, ut nonnulli ad illas pro lucrifaciendis indulgentiis per Nos ut praemittitur concessis, accedere minime possint.

Tenor concessionis.

§. 4. Hinc est, quod Nos ut unusquisque christifidelium coelestium horum munerum particeps sit, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui in sextis feriis hujusmodi omnia in praeinsertis Nostris literis praescripta peregerint pro ecclesiis fratrum Minimorum praefatorum (dummodo milliarium saltem inter propriam cujuscumque domum, et ecclesias praefatas intercedat) quamcumque ecclesiam sive Deo in honorem s. Francisci de Paula dicatam, sive altare imagine ejusdem s. Francisci insignitum in illa existens, sive propriam uniuscujusque parochialem ecclesiam visitantibus omnes et singulas praemis-

sas indulgentias, ac peccatorum suorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes hujusmodi pari modo concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in supradictis Nostris literis voluimus non obstare, nec non quatenus opus sit Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum die decima martii millesimo septingentesimo trigesimo nono, anno nono.

Ampliatio concessionis favore christifidelium civitatis Cajetanae.

§. 7. Cum autem modernus rector ecclesiae s. Mariae di Porto Salvo civitatis Cajetanae praedictas indulgentias die festo ejusdem s. Francisci de Paula christifideles certis de causis minime posse commode lucrari humillime exponat, illasque ad diem per ordinarium designandum transferri summopere cupiat, Nos ejusdem piis exponentis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, ac supplicationibus hujusmodi inclinati, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes a memorato Clemente jam concessas perpetuo confirmamus, illasque in iis diebus antecedentibus vel sequentibus diem in quo de licentia ordinarii quotannis celebrabitur festum s. Francisci de Paula auctoritate apostolica tenore praesentium christifideles commode posse lucrari misericorditer in Domino concedimus, et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in supradictis literis voluit memoratus Clemens praedecessor Noster non obstare, nec non quatenus opus sit Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

VII.

Dat. die 28. apr. 1829. Anno I.

Ampliatio eleemosynae pro missis celebrandis in ecclesiis regalis ordinis Costantiniani regni utriusque Siciliae, et respectiva reductio missarum in causam piorum legatorum celebrandarum.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Carissimus in Christo filius Noster Franciscus regni utriusque Siciliae rex illustris, quum probe noverit, in ecclesiis praesertim regalis ordinis Constantiniani appellatis quaedam extare pia legata missarum, quibus adimplendis adeo tenuis antiquitus attributa est eleemosyna, ut, impar quum illa in praesentiarum sit quotidiano sacerdotum victui, non facile inveniantur celebrantes, unde inexpleta, non sine gravi animarum purgantium detrimento, remaneant, suppliciter fel. rec. Leonem pp. XII. decessorem Nostrum exoravit, ut tanto mederi malo quam citius vellet, tributa omnibus praesulibus ordinariis memorati regni facultate taxam, sive eleemosynam missarum in quacumque regalis praedicti Constantiniani ordinis ecclesia celebrandarum ad tres usque nummos argenteos vulgo carlini Neapolitani augendi, reducto consequenter atque imminuto, servata proportione, earumdem missarum numero. Ast decessor Noster praedictus, qui super hujusmodi re venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales concilii Tridentini interpretes adhibuerat in consilium, morte praeoccupatus votis ejusdem regis haud valuit satisfacere, a Nobis proinde iteratis precibus nomine ejusdem regis petitum fuit, ut praedictum eleemosynae augmentum, missarumque reductionem juxta preces auctoritate Nostra apostolica in quibuscumque Constantiniani ordinis praedicti ecclesiis utriusque Siciliae regni sanciamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos itaque sollicitudinem, et religionem, ac pietatem ejusdem regis plurimi facientes, haud gravate inducimur, ut ejusdem pro desiderio, quantum in Domino possumus, satisfacimus, ac omnes proinde, quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis

censuris, sententiis, et poenis quovis modo, ut quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, omnibus, et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et ecclesiasticis praesulibus ordinaria facultate praeditis, intra limites utriusque Siciliae regni existentibus, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium facultatem opportunam facimus, ut ipsi, cognita necessitate praedicta, pro eorum prudentia, et conscientia eleemosynam missarum, et piorum legatorum quorumcomque in omnibus ordinis Constantiniani praedicti ecclesiis in propria dioecesi existentibus celebrandarum, ad tres usque nummos argenteos, vulgo carlini Neapolitani, augere, ac earumdem missarum numerum, servata proportione, reducere libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat; ita tamen, ut hujusmodi eleemosynae augmentum, missarumque reductio perpetuo in dictis ecclesiis tantum vigeant, nec ullo unquam tempore valeant immutari; utque pro oneribus sive legatis per eosdem ecclesiasticos ordinarios, ut supra reducendis, eorum semper defunctorum, qui legata hujusmodi pro suarum animarum salute ad pios reliquerunt usus, commemorationem fieri injungimus atque praecipimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quacumque lege fundationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut harum literarum exemplis, seu transumptis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

VIII.

Dat. die 28. apr. 1829. Anno I.

Prorogatio ad annos quatuordecim pensionis jam impositae super bonis archiepiscopatus Caesaraugustani.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi regis catholici, ex apostolicis literis fel. rec. Pii VII. praedecessoris Nostri ad annos quatuordecim prorogatam fuisse pensionem annuam ducatorum biscentum nonaginta monetae apostolico Nostro aerario probatae, ac praeterea juliorum sexdecim monetae Romanae, quae summam exaequant regalium novem mille quatuorcentum undecim de Vellon, ac viginti sex Maravedis monetae Hispanicae ab archiepiscopatu Caesaraugustae nosocomio regio ac generali Nostrae dominae de Gratia ejusdem civitatis pendendam. Quum autem illud temporis intervallum finem vel jam habuerit, vel mox mox habiturum, eaedemque adhuc vigeant rationes, quibus ea pensio fuit imposita, supplici cum prece serenissimus ille rex a Nobis postulavit, ut assentiente ipso metropolita, simili prorogationis indulto ei nosocomio consulamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos vero singulos quosque, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, praedictam summae pensionem ab eodem praedecessore Nostro redditibus, ac fructibus archiepiscopatus Caesaraugustani in commodum nosocomii, de quo facta est mentio, impositam, ad alios quatuordecim annos a die cessantis ultimae concessionis supputandos apostolica auctoritate Nostra prorogamus, et ab ejusdem nosocomii rectore, seu administratore percipi volumus iis sub clausulis, quae superiori diplo-

mati sunt insertas, omnibusque et singulis non obstantibus, quae concessioni hujusmodi non obstare decretum est. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 28. apr. 1829. Anno I.

IX.

Concessio tituli, et honoris ducis facta marchioni Gabrieli de la Fare, ejusque legitimis descendentibus in infinitum, ac perdurantibus in Catholica religione.

Dilecto filio
Marchioni Gabrieli de la Fare Galliae.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Generosam sobolem splendidis insignium additamentis augere, aut magis exornare aliquando solent Romani pontifices, ut quanto generis vetustate, et claritate, vel honorum amplitudine caeteris antistant, tanto etiam virtutum omnium laude, et exemplo, uti par est antecellant: « ille enim clarus, ille sublimis, ille nobilis, (ut monet Chrysostomus) illa tum integram nobilitatem suam putat, si dedignatur servire vitiis, et ab eis non superari ».

Ratio concessionis. §. 2. Et sane quum familiae tuae tot nominibus ornatae magnum decus adjunctum ex amplissimo et clarissimo viro, dilecto filio Nostro Anna Ludovico Henrico presbytero cardinali de la Fare nuncupato, patruo tuo, tu vero non indubia liberalis ingenii, praeclarae pietatis, atque eximiae in hanc apostolicam Sedem observantiae indicia praeferas, oblatis ab eodem ipso precibus, ut tibi, tuisque posteris ducis titulum tribuere velimus, haud possumus, quin alacriter libenterque annuamus.

Tenor concessionis. §. 3. Peculiari igitur benevolentia te complecti cupientes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, te, tuosque posteros legitimos, ac naturales, dummodo in Catholica religione perseverent, duces dicimus, atque creamus, ac vobis singula quaeque privilegia, et indulta, quocumque nomine designanda deferimus, quibus alii duces ex juris praescripto, vel ex usu, et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt, ac poterunt; non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 22. maji 1829. Anno I.

X.

Facultas concessa primicerio, et sacristae ecclesiae cathedralis Parmensis deferendi rocchettum, et almutiam, loco superpellicei, et almutiae.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum indulgentia pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis persolvunt, ut externo decore adepti magis illi conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra ministeria accurate implenda benignitatis etiam apostolicae incitamento impellantur.

Expositio precum. §. 2. Quum igitur dilecti filii presbyteri Salvator Galliani primicerius, et Joseph Ventura sacrista, quorum uterque dignitas istius cathedralis ecclesiae Parmensis habetur, quique omnibus privilegiis aliarum trium dignitatum, et canonicorum ejusdem cathedralis ecclesiae perfruuntur, praeter rocchettum, et cappam, enixis precibus a Nobis efflagitaverint, ut loco superpellicei, et almutiae, quibus induti, illis ornentur, quumque venerabilis frater Remigius istius ecclesiae nunc episcopus testimonio dicat, a fel. rec. Clemente VIII. praedecessore Nostro tum quinque ejus dignitatibus, tum canonicis privilegium deferendi cappam magnam, at rocchettum fuisse concessum, atque eos omnes hujusmodi apo-

stolida venia usos, praeter primicerium, et sacristam, qui necessarias idcirco impensas haud ferre poterant; ipse autem venerabilis frater episcopus oratores satis amplo censu, atque optimis moribus instructos plane dignos petitis honoribus arbitretur, annuendum eorum votis, atque obsecundandum putamus.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos vero eumdem primicerium et sacristam peculiari benevolentia prosequi cupientes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, iis qui modo sunt, quique in posterum erunt, primicerio, et sacristae cathedralis ecclesiae Parmensis, ut pro superpelliceo, et almutia, quibus antea ornati, rocchettum, et cappam, quemadmodum aliae dignitates, et canonici ejusdem ecclesiae, in choro, in conventibus, seu, ut dici solet, capitulis, quum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus, aliisque collegii canonicorum functionibus publicis gestare libere, et licite possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Haec volumus, atque mandamus, decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ipsumque primicerium, et sacristam hac super re a quoquam quavis auctoritate, aut superioritate fungente quovis praetextu vel causa, aut quaesito colore ullatenus inquietari, perturbari, vel molestari posse decernimus; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. pariter praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit commemoratae cathedralis ecclesiae, ac collegii canonicorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die octava maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XI.

Dat. die 12. maji 1829. Anno I.

Concessio privilegii celebrandi missas in quovis altari cum liberatione animae a poenis purgatorii pro confraternitate de Nazarenos civitatis Hispalensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum, sicut pro parte dilectorum filiorum officialium, et confratrum archiconfraternitatis de Nazarenos nuncupatae in ecclesia parochiali s. Michaelis Archangeli ad altare sanctissimi Christi *dell'amore* vulgo etiam nuncupati civitatis Hispalensis canonice, ut asseritur, erectae Nobis nuper expositum fuit, nonnullae missae, ac etiam piorum legatorum, et adventitiae pro anima cujuscumque confratris et consororis praedictae archiconfraternitatis ex hac luce migrante juxta statuta seu consuetudinem archiconfraternitatis hujusmodi celebrari debeant aut soleant; Nobis propterea eorumdem exponentium nomine humiliter supplicatum fuit, ut missas hujusmodi coelestium munerum, quorum dispensationem fidei Nostrae credidit Altissimus, elargitione condecorare dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos piis eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut missae, ac etiam piorum legatorum, et adventitiae, quae juxta statuta, seu consuetudinem ejusdem archiconfraternitatis pro anima cujuslibet ex confratribus et consororibus archiconfraternitatis praefatae, quae Deo in charitate conjuncta ex hac luce migraverit, celebrari debent, aut solent, ut praefertur, ad quodlibet altare praefatae ecclesiae celebrabuntur, animae seu animabus pro qua seu quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra et cancellariae apostolicae regula de concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 12. maji 1829. Anno I.

XII.

Concessio indumentorum magis insignium pro canonicis ecclesiae cathedralis Cingulanae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pecularia ornamenta Romani pontifices aliquando illis tribuunt, qui Deo laudes conspicuis in templis persolvunt, ut externa decora adepti magis conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra ministeria accurate implenda benignitatis etiam apostolicae incitamento impellantur.

Ratio concessionis. §. 2. Quapropter quum illustri profecto in templo cultui divino inserviat praepositus praeter canonicos cathedralis ecclesiae Cingulanae, quam non possumus non habere carissimam, ea enim in urbe originis vetustate, aliisque nominibus commendata, sortiti fuimus incunabula, statuimus eamdem dignitatem claris quibusdam insignibus exornari.

Tenor concessionis. §. 3. Hodiernum ergo praepositum dilectum filium presbyterum Paulum Onori singulari beneficentia prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, eumdem ipsum in praesulem Nostrum domesticum adlegimus, eique concedimus, ut habitu violaceo, ac etiam rocchetto extra Romanam curiam indutus incedere libere, et licite possit, atque utatur, fruatur singulis quibusque honoribus, quibus alii praesules Nostri domestici utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt ac poterunt. Eadem praeterea auctoritate Nostra concedimus, et impertimur, ut ejus successores in praepositi munere rocchettum, ut mantellettam violacei coloris in choro, in conventibus, seu ut dici solet capitulis, quum deliberationis causa, canonicorum collegium cogitur, in sacris supplicationibus, aliisque ejusdem collegii functionibus publicis tum in cathedrali Cingulana, tum in aliis ejus dioeceseos ecclesiis gestare libere, et licite possint.

§. 4. Haec volumus, atque indulgemus, decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit commemoratae cathedralis ecclesiae, et collegii canonicorum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

XIII.

Dat. die 15. maji 1829. Anno I.

Erectio dioecesis Alabamae in America Septentrionali, ejusque subjectio metropolitico juri archiepiscopi Baltimorensis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Inter multiplices, gravissimasque apostolatus Nostri curas non exiguam ea tenet Prooemium.

partem, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum: siquidem supremae potestatis, judiciique Nostri est novos earum limites constituere, vel constitutos immutare, prout habita temporum ac circumstantiarum ratione fidelium utilitati conducere digooscimus.

Ratio concessionis.

§. 2. Quum per apostolicas literas fel. rec. Leonis pp. XII. decessoris Nostri die vigesima sexta augusti millesimo octingentesimo vigosimo quinto datas Alabamae, et Floridarum status in Septentrionalis Americae provinciis vicariatum apostolicum constituere decretum sit, donec rebus mature perpensis iidem status in unam peculiarem dioecesim definitive erigerentur; quumque venerabilis frater Michael Portior episcopus Olensis in partibus infidelium, cui vicariatus ille apostolicus por memoratas decessoris literas gerendus commissus est, Romam veniens accuratam illorum statuum descriptionem, et veram ad religionem in iis pertinentium expositionem exhibuerit, ex qua notitia plena eorum, quae ad religionis bonum ibi promovendum opportuna, ac necessaria sunt hauriri facile posset, Nos, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis propagandae fidei praepositorum consilio, eosdem status in veram, et proprie dictam dioecesim, cujus limites sint statuum ipsorum limites, cujusque sedes esse debeat civitas Mobiliae in statu Alabamae, quae denique quod ad jus metropoliticum subjecta esse debeat archiepiscopo pro tempore Baltimoronsi.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque ad Dei omnipotentis gloriam, fideliumque spiritualem utilitatem, motu-proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, vi praesentium literarum apostolicarum, status Alabamae, et Floridarum in Septentrionalis Americae provinciis in veram, et propria dictam dioecesim, cujus limites sint statuum ipsorum fines, cujusque sedes esse debeat civitas Mobiliae in statu Alabamae, quae denique quod ad jus metropoliticum subjecta esse debeat archiepiscopo pro tempore Baltimorensi, erigimus, et dioecesi sic per Nos erectae jura consueta attribuimus. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos spectat, ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus Nostris se subjiciant, illasque accurate exequi teneantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et por omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XIV.

Dat. die 22. maji 1829. Anno I.

Concessio privilegiorum pro confraternitate nuncupata « del Gonfalone » terrae di Rocca di Papa Tusculanae dioecesis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis sub invocatione beatae Mariae virginis del Gonfalone vulgo nuncupatae in parochiali ecclesia terrae di Rocca di Papa Tusculanae dioecesis canonice ut asseritur erectae, quod cum in eadem ecclesia altare ejusdem confraternitatis sub titulo sanctissimi Salvatoris erectum seu erigendum, illud omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, quod altare in ecclesia s. Laurentii extra moenia urbis pro animabus a purgatorii poenis liberandis specialiter privilegiatum reperitur locupletatum, per Nos condecorari summopere cupiunt; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur aliunde considerantes quantopere hoc ad religionis pietatisque augumentum, nec non ad uberius animabus in purgatorio detentis impetrandum suffragium cedat, exponentibus eisdem specialem gratiam facere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac bb. Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi; praedictas omnes et singulas indulgentias et privilegia quibus altare supradictum in praefata ecclesia s. Laurentii extra moenia urbis a summis pontificibus praedecessoribus Nostris pro animabus a purgatorii poenis liberandis specialiter condecoratum reperitur altari confraternitatis praedictae in parochiali ecclesia dicti loci, ut praemittitur, erecto seu erigendo confraternitatis ejusdem confratrum et consororum tam ei adscriptorum, qua pro tempore adscribendorum tantum favore, servatis tamen in reliquis de jure servandis, nec non omnibus pro illarum consequutione praescriptis rite adimpletis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo communicamus tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 22. maji 1829. Anno I.

XV.

Facultas extruendi odeum in aedicula publica de jure patronatus familiae Tafuri civitatis Neritonensis cum privilegio satisfaciendi in ea Ecclesiae praecepto diebus festis.

Venerabili fratri Episcopo Neritonensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis est a dilecto filio Antonio Tafuri istius civitatis, se aediculam publicam sui juris patronatus possidere, suisque aedibus proximam; impense autem cupere ea in aedicula odeum, seu fenestram aperire, quo ex iisdem aedibus pateat accessus ope arcus extruendi, et unde sibi, ejusque consanguineis, ac posteris, nec non famulis, atque hospitibus liceat angustissimo sacrificio interesse quum ea in aedicula peragetur, atque ita diebus festis praecepto satisfacere. Suppliciter ergo petiit ea facultate, eoque privilegio ab apostolica Nostra indulgentia muniri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur oratorem peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut salvis juribus parochi, auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, in sacra aedicula; de qua agitur, odeum vel fenestram habendi, e quo orator, ejusque posteri agnati tantum, itemque consanguinei, et affines, qui cum eis vitam degent, atque familiares, et hospites diebus quibuscumque per annum festis ex odeo, seu fenestra illa sacerdoti adstantes, dum sacrum in aedicula facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit ut tum lignea tum ferrea crata odeum, seu fenestra illa sepiatur, atque per iscriptionem apto loco positam constet confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui, volumusque hae de re firmam, ac ratam esse auctoritatem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus, atque mandamus, non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decimanona maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 29. maji 1829. Anno I.

XVI.

Abrogatio consuetudinis existentis in ecclesia metropolitana Valentina recitandi matutinum cum laudibus in choro hora noctis duodecima.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. §. 1. Ecclesiasticos ritus quibusdam in ecclesiis provvide sapienterque institutos, ac veteri consuetudine sancitos, opportunum aliquando videtur ob graves, ac peculiares rationes immutare, et in id Romani pontifices apostolicam auctoritatem, et curam intendunt.

Expositio precum. §. 2. Expositum Nobis est, pene ab immemorabili metropolitana Valentina in Ecclesia morem semper extitisse matutinum cum laudibus in choro recitandi hora noctis duodecima, quin ab aliquo sacrorum antistite fuerit unquam interruptus; imo ab Joanne S. R. E. cardinale Salviati nuncupato, hujus sanctae Sedis legato a latere in Hispania die undecima februarii anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto approbatus. Novissime vero in variis rerum, ac regni vicibus pericula, quae noctu tum viris in illud collegium cooptatis, tum ipsi ecclesiae imminebant ob perditos homines, qui temere nec in sanctissimae eucharistiae tabernaculum sacrilegas immittere manus perhorrescunt adeo aucta, ut ab ea consuetudine recedere omnino opus fuerit. Quapropter venerabilis frater archiepiscopus, et canonicorum collegium metropolitanae istius ecclesiae Valentinae hujusmodi incommodis, quae adhuc urgent, pro viribus occurrere cupientes, supplici cum prece a fel. rec. Leone XII. praedecessore Nostro postularunt, ut apostolicum indultum rec. mem. Pii IV. pariter praedecessoris Nostri die decima secunda kalendas decembris anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto concessum celebrandi nimirum in choro matutinum cum laudibus pridie post completorium statis nonnullis diebus, ad reliquum anni tempus in posterum extendere vellet. Idem itaque praedecessor Noster Leo XII. de consilio congregationis Sacrorum Rituum, cui rem totam expendendam commisit, benigne annuendum censuit.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur illius pontificis voluntati omnino inhaerentes, ac omnes, et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica morem veterem recitandi matutinas horas in choro metropolitanae Valentinae ecclesiae ad mediam noctem omnino abrogamus, itemque praecipimus, ut deinceps eadem in ecclesia quolibet anni tempore persolvantur pridie post completorium, quemadmodum Pius IV. quibusdam tantum anni diebus jam indulserat.

§. 4. Hoc volumus, atque impertimur, decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non commemorati canonicorum collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda maji millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

XVII. Dat. die 24 maji 1829. Anno I.

Epistola encyclica ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos super ejus possessione pontificatus assumpta in basilica Lateranensi.

Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis.

Pius PP. VIII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Traditi humilitati Nostrae pontificatus possessionem hac ipsa die in Lateranensi ba-

silica ex more institutoque majorum adituri, dilatamus cum gaudio super vos cor nostrum, venerabiles fratres, quos in tanta procuratione gerenda, ille Nobis adjutores dedit, in cujus manu et gradus officiorum, et momenta sunt temporum. Nedum enim gratum est Nobis ac jucundum, intimos voluntatis erga vos Nostrae sensus testari, sed maxime etiam christianae rei salutare, in communicatione spiritus ea simul conferre, quibus majora ipsius commoda in dies apprecperari dignoscamus. Hoc quidem Nostri officii munus est, quibus in beati Petri persona non agnos dumtaxat, christianum scilicet populum, sed et oves, hoc est antistites, pascere, regere, ac moderari, ab ipso Ecclesiae auctore divina est dispensatione tributum.

Exultamus sane animo, ac pastorum principi benedicimus, qui tales ad sui gregis custodiam pastores suscitavit, qui sedulo in ea curn, et cogitatione versantur, ut omni amoto discrimine in vias justitiae ipsum vigilanter deducant, neminem ex iis perdituri, quos sibi a patre datos exceperunt. Vestram enim apprime novimus, venerabiles fratres, fidem immobilem, intentum pro religione studium, mirum vitae sanctitatem, prudentiam singularem. Laeta proinde Nobis, laeta Ecclesiae, laeta huic sanctae Sedi ab tali operariorum inconfusibilium corona fidenter praestolamur, jucundaque haec spes formidantibus Nobis in maxima muneris gravitate animos addit, obrutosque asperrimarum sollicitudinum multitudine Nos recreat, ac reficit. Lubentes idcirco omittimus, ne ultro festinantibus admovere stimulos videamur, longi vos oratione detinere, ut et quae ad rem sacram bene gerendam haberi ob oculos debent, et quae canonum lege praescribuntur, ne quispiam ab sua penes traditum sibi gregem statione, vigiliaque discedat, et quae in divinarum rerum ministris tute canteque adsciscendis attentio, ac diligentia est praestanda, in mentem vobis revocemus: votaque potius Deo sospitatori nuncupamus, ut praesentissimo vos numine tueatur, secundoque exitu actiones, conatusque vestros fortunet.

Verum licet ex virtute hac vestra consoletur Nos Deus in vobis, venerabiles fratres, tristes adhuc Nos esse oportet, qui in parte ipsa persentimus, amaritudinem Nobis amarissimam a filiis hujus saeculi inferri. Loquimur, fratres, quae nota, quae manifesta sunt, quae communibus lacrymis ingemiscimus, quae idcirco communi sunt studio emendanda, convellenda, profliganda. Loquimur de innumeris errorum commentis, doctrinaeque perversae institutionibus, quibus non occulte, et clanculum, sed aperte ut plurimum, et acerrime catholica fides oppugnatur. Nostis, quo parto scelesti homines per philosophiam, cujus se jactitant doctores, ac per inanes fallacias secundum mundi elementa invectas signa in religionem contulerint. Divexatur inde cum primis Romana haec Nostra beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae suae firmamentum, et vincula unitatis in dies paulatim abrumpuntur. Infringitur qua late patet Ecclesiae auctoritas, praesidesque sacrorum in individua rapiuntur, et in contemptionem. Sanctiora praecepta spernuntur, rerumque divinarum officia irridentur, factaque cultura Dei execratione peccatoris (1), omnia ea, quae religionem sapiunt, anilibus fabulis accensentur, et inanibus sacricolarum superstitionibus. Vere rugierunt super Israel leones (2), illacrymantes dicimus: vere convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus: vere inclamarunt impii: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (3).

Hoc spectat teterrima sophistarum hujus aetatis machinatio, qui nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, omnibusque aeternae salutis portum ex religione qualibet patere arbitrantur, ac levitatis idcirco, et stultitiae nota eos inurunt, qui religione, quam didicerant, abjecta, aliam qualemcumque, etiam catholicam, amplectantur. Horrendum sane impietatis monstrum, quo eadem veritati et errori, virtuti et vitio, honestati et turpitudini laus, ac praerogativa justi rectique adscribitur. Hoc nimirum lethale est de religionum indifferentia systema vel ipso naturalis rationis lumine explosum, qua admonemur, ex religionibus, quae simul haud conveniant, si una vera sit, alteram necessario falsam esse, nullamque extare posse tene-

(1) Ecclesiastici 1. 32.
(2) Jerem. 2. 15.

(3) Psal. 136. 7.

brarum cum luce societatem. Adversus hosce veteratores edocendi sunt populi, venerabiles fratres, Catholicae fidei professionem unice veram esse, adclamante apostolo unum Dominum, unam fidem, unum baptisma (1): profanum ideo esse, uti inquiebat Hieronymus (2), qui extra hanc domum agnum comedat, et periturum regnante diluvio qui in arca Noe non fuerit. Neque enim praeter nomen Jesu aliud nomen hominibus datum est, in quo Nos oporteat salvos fieri (3); et qui crediderit, salvus erit: qui non crediderit, condemnabitur (4).

Pervigilandum quoque est adversus eorum consilia, quibus bibliorum libri novis, ac praeter saluberrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque ex privato spiritu callide in pravos sensus contortis, vernacula qualibet lingua pervulgantur, et ubique maxima atque incredibili impensa populis etiam rudioribus gratuito impertiuntur, perversis quoque haud raro immissis scriptiunculis, ut lethale ebbibant venenum, ubi aquas sese haurire censent sapientiae salutaris. Alias jampridem apostolica Sedes de ingenti hac fidei clade christianum populum monitum voluit, tantaeque perniciei auctores contudit. Hinc quod per regulas Indicis Tridentini concilii jussu editas, et per ipsam congregationem Indicis fuit cautum (5), omnium iterum memoriae mandatum, bibliorum versiones in vulgarem linguam non esse permittendas, nisi quae fuerint ab apostolica Sede adprobatae, et cum adnotationibus editae desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus. Sacra enim Tridentina synodus in eum finem decreverat (6), ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram scripturam ad suos sensus detorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam scripturam sanctam interpretetur. Quibus canonicis praescriptionibus licet manifeste pateat, hujusmodi adversus Catholicam fidem machinationes longe ante fuisse protritas, postremi tamen felicis recordationis praedecessores Nostri de christiani populi incolumitate solliciti nefarios hosce ausus, quos percrebescere undique animadverterunt, gravibus de ea re datis apostolicis literis, speciatim compescendos curarunt (7). His et vos, venerabiles fratres, armis praelia Domini in tanto sacrae doctrinae periculo praeliari conamini, ne vestro in grege exitiale id genus virus ad imperitorum praesertim necem diffundatur.

Hac vero sublata sacrarum literarum corruptione, vestrarum est partium, venerabiles fratres, adversus occultas illas hominum factiosorum societates curas convertere, qui in Deum, et principes infensi, toti in eo sunt, ut Ecclesiae labem, regnis perniciem, orbi universo perturbationem importent, viamque ad flagitia sternant, fraene verae fidei confracto. Quiquidem cum tenebricosissimi arcani religione improbitatem suorum coetuum, susceptaque in ipsis consilia celare adnitantur, gravem hac ipsa ex causa earum turpitudinum suspicionem injecerunt, quae deinceps pro temporum asperitate, veluti e puteo abyssi, in summam rei sacrae, et publicae jacturam eruperunt. Hinc iterato anathemate a summis pontificibus praedecessoribus Nostris Clemente XII. Benedicto XIV. Pio VII. Leone XII. (8) cui meritis longe imparibus suffecti sumus, occultae id genus sectae, quocumque demum nomine nuncuparentur, confixae fuerunt, datis in eam rem apostolicis literis, quarum ordinationes de apostolicae potestatis plenitudine confirmamus, et omnino servari mandamus; qua in re ne quid detrimenti a talium sectarum conspiratione Ecclesia, et publica res capiant, omni studio advigilabimus, instantia vestra quotidiana in tantum operis advocata, ut induti armaturam zeli, strenue in unitate spiritus communem Nostram, imo ve-

(1) Ad Ephes. 4. 5.
(2) Ep. ad Damas. Pont. quae est 37.
(3) Act. 4. 12.
(4) Marci 16. 16.
(5) Reg. 4 Indicis, et addit. in eamdem ex decr. ind. 13. jun. 1757.
(6) Sess. 4 in dec. de sac. bibliis.

(7) Legantur inter caetera litt. apost. Pii VII. ad archiep. Gnesnen. 1 junii 1816 et ad arch. Mohilovien. 3 septemb. 1816.
(8) Clem. XII. const. *In eminenti* Ben. XIV. Const. *Providas* Pii VII. Const. *Ecclesiam a Jesu Christo*. Leonis XII. Const. *Quo graviora*.

rius Dei causam agamus ad destructionem munitionum, quas putida hominum nequam opponit impietas.

Hic porro de alia ex occultis hisce societatibus haud ita pridem constituta scribere ad vos speciatim decrevimus, quae ad adolescentium animos corrumpendos coaluit, qui in gymnasiis, ac lyceis instituuntur. Pravos, et qui discipulos in vias Baal deducant per doctrinas, quae secundum Deum non sunt, magistros adscisci, praecipua ipsorum ac veteratoria curatio est, cum probe noscant, ex doctorum praeceptis mentes, moresque auditorum effingi. Quo fit, ut eo jam talium adolescentium licentiam pervasisse ingemiscamus, ut religionis metu projecto, amota disciplina morum, doctrinae purioris sanctitate oppugnata, juribus sacrae, et civilis potestatis conculcatis, nullius eos neque flagitii, neque erroris, neque ausus pudeat; apud quos vere dicere possumus cum Leone magno (1) lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Haec vos mala a vestris dioecesibus propellite, fratres, et qua valetis, aucteritate, et gratia contendite, ut viri non literarum scientia dumtaxat, sed vitae etiam, ac pietatis commendatione spectati rectae juvenum institutioni praeficiantur.

In id porro impensiori quadam sollicitudine advigilatis in seminariis, quorum omnis procuratio vobis peculiariter est a Tridentinis patribus adtributa (2). Inde enim educendi sunt, qui ad christianae et ecclesiasticae disciplinae cultum, atque ad sanioris doctrinae principia apprime instructi, eam in divinis officiis obeundis religionem, eam in populis instituendis scientiam, eam in suis moribus gravitatem praeseferant, ut ab illis etiam, qui foris sunt, commendetur traditum iisdem ministerium, ipsique possint verbo virtutis eos redarguere, qui ab justitiae semitis recedant. Hoc sane a vestra in bonum Ecclesiae contentione exquirimus, ut in iis eligendis, quibus cura animarum committenda est, studium omne collocetis, cum ex optimo parochorum delectu salus populi in primis pendeat, nihilque magis in animarum ruinam contingat, quam ab iis regi, qui sua quaerunt, non quae Jesu Christi, vel qui rectam scientiam parum edocti omni vento circumferuntur, nec gregem ad salutaria pascua, quae ipsi vel ignorant, vel contemnunt, deducant.

Cum vero in immensum succrescant undequaque libri pestilentissimi, per quos impiorum sermo serpit ut cancer in corpore Ecclesiae universo (3), attendite gregi, atque in avertenda hujusmodi librorum peste, qua nulla capitalior est, nulli parcatis labori, commissasque vobis Christi oves verbis Pii VII. decessoris, ac benefactoris Nostri sanctissimi commonete (4), ut id solum pabuli genus salutare sibi ducant, id amplectantur, eo se alant, quo Petri illas vox et auctoritas immiserit: unde vero haec avocet, ae deterreat, id noxium plane ac pestiferum existiment, ab eo vehementissima abhorreant, neque illa se sinant capi specie, pervertique illecebra.

At pro temporum, quae nacti sumus, ratione id insuper quam maxime vestro de animarum salute studio commendandum ducimus, ut nimirum de matrimonii sanctitate solliciti eam erga ipsum gregi vestro injiciatis religionem, ut nihil plane, quod magni hujus sacramenti dignitati detrahat, nihil quod immaculatum thorum dedeceat, nihil demum quod de perpetuo connubii vinculo dubium inferat, patrari unquam contingat: id porro fiet unice, si non humana tantum ex lege, sed ex divina regi ipsum debere, ac non terrenis, sed sacris rebus ipsum accensendum esse, ideoque Ecclesiae omnino subjici, christianus populus accurate edoceatur. Quae etenim maritalis conjunctio antea non alio spectabat, quam ut stirpem ex se gigneret, in aevumque proferret, ea nunc a Christo Domino sacramenti dignitate aucta, et coelestibus ditata muneribus, gratia perficiente naturam, non tam procreare ex se sobolem gaudet, quam educare illam Deo, et divinae religioni, atque ita veri numinis cultores propagare adnititur. Constat enim, matrimonii hac conjunctione, cujus Deus auctor est, perpetuam, ac summam Christi Domini cum Ecclesia conjunctionem significari, et arctissimam hanc viri uxo-

(1) In serm. 5 de jejun. X mensis cap. 4.
(2) Sess. 23 cap. 18 de reformat.
(3) 2 Tymoth. 2 17.

(4) In litt. encyclicis ad universos episcopos datis Venetiis.

1

risque societatem sacramentum esse, idest sacrum signum immortalis amoris Christi erga suam sponsam. Ita ergo populos instrui (1), opus est, et quae Ecclesiae regulis conciliorumque decretis sancita, quaeque damnata sunt, explicari iisdem, ut quae ad vim sacramenti pertinent, ea perficiant nec quae Ecclesia detestata est, audeant ipsi attentare, idque qua estis pietate doctrina, ac diligentia praediti, ut praestetis, ab vestra religione quantum possumus vehementissime exposcimus.

Accepistis, fratres, quae prae caeteris in dolore in praesens esse Nos jubent, quos super cathedram principis apostolorum constitutos zelus universae domus Dei comedat, oportet. Accedunt et alia complura, nec minus gravia, quae hic recensere longum foret, ac vos probe nostis. Numquid continebimus vocem in tanta christianae rei necessitate? Numquid humanis rationibus detenti, vel desidia torpentes, silentio feremus, tunicam discindi Christi servatoris, quam nec crucifigentes milites dividere ausi sunt (2)? Absit, carissimi, ut gregi in ruinam divexato amentis sedulique desit cura pastoris. Nos quidem haud ambigimus, facturos vos pius etiam, quam scribimus, et quae ad avitam religionem fovendam, augendam, ac protuendam conferant, praeceptionibus, consilio, opera, studiis curaturos esse.

Verum in tanta rerum acerbitate orandum nunc maxime in spiritu est, et ardentiori, multaque prece postulandum, ut sanante Deo contritiones Israel, sancta ubique floreat religio, veraque populorum felicitas immobilis perseveret, atque misericordiarum pater tempora ministerii Nostri propitius aspiciens, pastorem ovium suarum et custodire semper dignetur, et pascere. Nostris vero curis, studiisque faveant animo quo sunt magno, et excelso potentissimi principes, et qui dedit ipsis cor docile ad faciendas justificationes suas, nova ees sacrorum charismatum accessione confirmet, ut streaue peragant, quae Ecclesiae tot calamitatibus afflictae prospera sint, ac salutaria.

Haec ab sanctissima Dei genitrice Maria supplices efflagitemus, quam solam interemisse cunctas haereses confitemur, et ab restitutum hoc die Romanae urbi post omnis generis aerumnas decessorem sanctissimum Pium VII. titulo Auxilii Christianorum gratulantes consalutamus. Haec ab apostolorum principe Petro, et ab ejus coapostolo Paulo deposcamus, ut in ecclesiae confessionis petra solidatos nullis Nos sinant perturbationibus concuti, ipso dante pastorum principe, Jesu Christo Domino Nostro, a quo cumulatissima gratiae, pacis, et gaudii dona fraternitatibus vestris, et gregibus vobis concreditis adprecamur, Nostrique affectus pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum die vigesima quarta maji anni millesimi octingentesimi vigesimi noni, pontificatus Nostri anno primo.

XVIII.

Dat. die 12. junii 1829. Anno I.

Concessio tituli et honoris comitis pro familia Joannis Massei Lucensis, et suorum successorum ex legitimo matrimonio procreandorum.

Dilecto filio Joanni Massei Lucensi.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pontificiae beneficentiae muneribus eos viros aliquando complecti decet, qui ad generis nobilitatem, ingeniique laudem, aliasque virtutes, indubiam in hanc apostolicam Sedem observantiam praeseferunt. Prooemium.

§. 2. Quum igitur notum perspectumque sit Nobis te e patricia Lucensi familia ortum ducere, teque bene de eadem sancta Sede merere in honorifico munere, quo in urbe Bononia decoratus, quumque a Nobis tuo nomine petitum sit, ut comitis titulum tibi, tuisque posteris ex Nostra indulgentia conferre velimus, haud gravate inducimur tuis ut votis obsecundemus. Ratio concessionis.

§. 3. Nos igitur te peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommuni- Tenor concessionis.

(1) Legatur catechism. Rom. ad parochos de matrim.

(2) S. Felix PP. in ep. syn. ad ep. Orient. apud Hard. t. 2.

cationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, auctoritate Nostra apostolica te, tuosque posteros legitimos ac naturales, dummodo in catholica religione perseverent, comites dicimus, atque creamus, ac vobis singula quaeque privilegia, et indolta quocumque nomine designanda deferimus, quibus alii comites ex juris praescripto, vel ex usu, et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel frui possunt, ac poterunt.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 16. junii 1829. Anno I.

XIX.

Indictio universalis jubilaei ad implorandum divinum auxilium initio pontificatus.

Pius PP. VIII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis.

Salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. In supremi apostolatus fastigium ex divina benignitate, nullo certe meritorum suffragio, evocati, venisse Nos conspeximus in altitudinem maris, in quo ne infeliciter demergamur, sola illius dextera efficere potest, quae apostolorum principem Petrum in fluctibus ambulantem erexit. Ab ipso itaque praestantissimum illico auxilium humilibus, ac communibus est votis postulandum, cui placuit exiguitatem Nostram ad tam excelsam, sed summe etiam pertimescendam dignitatem ovehere. Nisi enim dextera Domini, quae exaltavit Nos, faciat virtutem, et fortitudinem ipsa Nobis multiplicet ac robur, in irritum cederent omnia studia Nostra, et sollicitudo, quae Nos urget, omnium ecclesiarum. Preces idcirco universi Dominici gregis, cujus est Nobis regimen demandatum, exquirendas enixe duximus, id revolventes animo, Petro scilicet coelestem opem ex prodigio adfuisse, quando oratio ab Ecclesia sine intermissione fiebat pro eo. Quod ut ardentiori pietatis sensu, animisque rite comparatis peragatur, gratiorque et magis accepta hostia haec tandis dirigatur in conspectu Domini, exemplis Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, hoc veluti periculosi itineris viatico, pontificatum auspicantium insistentes, Ecclesiae thesauros, quorum Nobis est adtributa dispensatio, apostolica liberalitate proferre decrevimus, indicta universo catholico orbi indulgentia ad formam jubilaei.

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma urbe Nostra degentibus, qui sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et s. Mariae Majoris basilicas, vel earum aliquam, a tertia dominica post Pentecosten, nimirum a die vigesima octava hujus mensis usque ad diem duodecimam sequentis julii inclusive, quae erit quinta post Pentecosten dominica, bis visitaverint intra duas illas hebdomadas, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, ac quarta et sexta feria et sabbato unius ex dictis hebdomadibus jejunaverint, et intra easdem hebdomadas peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; caeteris vero extra urbem praedictam ubicumque degentibus, qui ecclesias ab ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae Nostrae pervenerint, designandas, vel earum aliquam, spatio duorum similiter hebdomadarum per eosdem una cum ecclesiis stabiliendarum bis visitaverint, aliaque supra recensita opera devote peregerint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, sicut in anno jubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur. — Declaratur initium et finis jubilaei et quae sint praestanda pro eo assequendo.

§. 3. Navigantes, vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, — Consulitur navigantibus, et iter agentibus.

operibus suprascriptis peractis, et bis visitata ecclesia cathedrali, vel majori, aut propria parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex actu adprobatis a locorum ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super communione cum pueris, qui nondum ad primam communionem sunt admissi; pariter concedimus et indulgemus.

Item omnibus christifidelibus saecularibus, et regularibus.

§. 4. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus saecularibus et regularibus cujusvis ordinis et instituti etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ab hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam saecularem quam regularem ex actu adprobatis a locorum ordinariis (etiam pro monialibus, quatenus poenitens monialis professa vel novitia sit) qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis praeter infra exceptas, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis et Sedi apostolicae, speciali licet forma, reservatis, et quorum absolutio alias in concessione quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque etiam jurata, ac Sedi apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praejudicio tertii, semper exceptis, necnon poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis.

Casus reservati indigitantur.

§. 5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare constitutioni cum opportunis declarationibus editae a fel. record. Benedicto XIV. praedecessore Nostro « *Sacramentum poenitentiae* »: neque easdem praesentes iis qui a Nobis, et apostolica Sede, vel al aliquo praelato, seu judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Praeceptum ordinariis faciendi designandi ecclesias, in quibus visitationes sint peragendae.

§. 6. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis, et officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium literarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas, ac tempus pro praesenti jubilaeo designent.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expresso mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nec non regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum et congregationum, sive institutorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac forma in eis tradita pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava mensis junii anno millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 23. junii 1829. Anno 1.

XX.

Facultas satisfaciendi praecepto ecclesiastico adstando in fenestra e qua patet prospectus in ecclesia parochiali s. Juvenalis civitatis Reatinae pro familia Blasetti ejusdem loci.

Venerabili fratri Episcopo Reatino.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponendum Nobis curarunt dilecti filii Aloisius, Joannes Maria, Dominicus et Antonius Blasetti germani fratres, ac dilectae in Christo filiae Maria Anna, Catharina, ac Magdalena eorum sorores istius tuae Reatinae dioecesis, se ista in civitate amplas emisse aedes, quae olim ad familiam Amati pertinebant, earumque in pariete esse fenestram, e qua in proximam parochialem ecclesiam s. Juvenalis prospectus patet. Verum quum sibi jus sit eam servandi reclusam (quemadmodum a venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, sacri concilii Tridentini interpretum congregatione decretum) sibi propterea optatissimum foret, ut non solum ipsi, ac posteri, verum etiam consanguinei, et affines, ac famulatus, qui illa ex fenestra sacris eodem in templo celebratis intersunt, diebus festis ecclesiastico praecepto satisfaciant. Supplici ergo cum prece a Nobis petiere hujusce causa apostolica venia muniri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur oratores, nec non alios, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutos fore censentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut, quum ita se res habeant, prout expositae, auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus vi oratores, ac qui ex eorum recto stipite in perpetuum descendunt, nec non consanguinei et affines una cum eis vitam degentes, ac famulatus diebus quibuscumque per annum festis ex illa fenestra sacerdoti adstantes, dum sacrum in parochiali ecclesia facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea, tum ferrea crate fenestra sepiatur, utque per inscriptionem publico, et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui, volumusque hac de re firmam, ac ratam esse auctoritatem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus, atque mandamus, non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesimo tertia junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 26. junii 1829. Anno 1.

XXI.

Concessio privilegiorum, et indulgentiarum assequendarum ab iis, qui visitaverint ecclesiam b. Mariae virginis de Monte Carmelo civitatis Utinensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus parochus ecclesiae ad praesens parochialis sub titulo beatae Mariae virginis de Monte Carmelo, et sub invocatione sancti Petri civitatis Utinensis, quod dum dicta ecclesia per fratres ordinis minorum s. Francisci Conventualium nuncupatorum regebatur, omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus, ac etiam illis, quae de Portiuncula dicuntur, quibus ecclesiae dicti ordinis fruuntur, et gaudent, fruebatur, et gaudebat. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, non amplius a dictis fratribus ecclesia hujusmodi gubernetur, praedictus exponens plurimum veretur indulgentias hujusmodi subsistere; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur, ne quid ad animarum profectum, ac religionis, pietatisque augmentum deficiat, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, ac etiam illas diei secundae augusti, quae de Portiuncula dicuntur, quibus antehac dum dicta ecclesia a fratribus praedictis regebatur, locupletata erat, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et quatenus opus sit, dummodo injuncta pro illarum consequutione rite adimpleant, auctoritate et tenore paribus de novo concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 26. junii 1829. Anno 1.

XXII.

Concessio gratiarum et privilegiorum facta conclavistis postremi conclavis.

Pius PP. VIII.

Urbis Motu-proprio etc.

Nos volentes dilectos filios conclavistas qui conclavi in quo divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, Nobis et venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus uti familiares et continui commensales inservientes interfuerunt, quique ea de causa labores et incommoda subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi nonnullis favoribus, gratiis et privilegiis pro cujusque meritis exornare, ipsosque conclavistas, quibus et aliis participantibus descriptis in rolo seu divisione subscripto, seu subscripta per venerabilem fratrem Nostrum Bartholomaeum episcopum Portuensem sanctae Rufinae, et Centumcellarum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem Pacca nuncupatum prodatarium Nostrum hodie summam decem millium scutorum auri in auro ex publico aerario gratiose donavimus (Donatio scutorum decem millium auri.) in Nostros familiares, atque illos ex eis qui clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres praefatae Sanctae (Receptio in familiares.) Romanae Ecclesiae cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores dignos tali dignitate judicaverint in Nostros et Sedis apostolicae notarios titulares, servata tamen forma (In notarios.) constitutionis sanctae memoriae Pii pp. VII. praedecessoris Nostri quae incipit « *Cum innumeri* » sub datum Idibus decembris anno millesimo octingentesimo decimo octavo editae recipimus et admittimus, et tam eos quam (Electio civilitatis.) alios conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem cardinalibus digni reputati fuerint, quique urbis vel alicujus alterius ex civitatibus temporali dominio ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subjectis cives esse voluerint, singulos in ea ipsa civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardinalibus se admitti petierit veros cives, ita ut ipsum jus civilitatis ad eorum haeredes eodem modo (Etiam pro haeredibus.) transeat creamus, constituimus et deputamus; nec non eisdem conclavistis clericali militiae

Exemptio a spoliis cum facultate testandi.

adscriptis, quod bona quaecumque ad ipsos et eorum quemlibet spectantia et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura saecularium et quorumvis ordinum regularium, nec non canonicatuum et praebendarum, et dignitatum quarumlibet per eos jam obtentorum et obtinendorum etiam in dicta urbe ejusque districtu ac ubique spoliis minime subjaceant, sed conclavistas praefati etiamsi religioni alicujus militiae, non tamen sancti Joannis Hierosolymitani adscripti, ut in ea professi fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum de jure tamen capacium testari, vel alias disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant simili modo concedimus et indulgemus: et cum eisdem conclavistis etiam in militia sancti Joannis Hierosolymitani et in quavis alia militia expresse professis, quod ratione quarumcumque pensionum annuarum eis et eorum cuilibet super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum et etiam mensarum episcopalium, archiepiscopalium, et abbatialium, nec non dignitatum quarumcumque ac monasteriorum fructibus etc. ac etiam distributionibus quotidianis non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet eorum nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum habitum et tonsuram clericalem gestare, et in illis dummodo alias ipsi habitum decentem, et honestum ac per milites praefatos gestare solitum deferant incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi, seu compelli minusque aliquas sententias aut censuras, etiam privationis seu cessationis illarum pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones usque ad praefatam summam ducentorum ducatorum bujusmodi ascendentes et reservatas vel reservandas, ut praefertur, etiamsi matrimonium quoad milites alicujus militiae, videlicet cum militia compatibili jam contraxerint, vel posthac contrahere voluerint cum unica et virgine tantum recipere, et quoad vixerint, et quilibet eorum respective vixerit retinere libere et licite valeant de specialis dono gratiae dispensamus. Et insuper conclavistis praefatis et eorum singulis, ut quicumque loci ordinarii, vel canonici metropolitanarum, vel cathedralium, seu duarum insignium urbis collegiatarum ecclesiarum, aut personas aliae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiastica constitutae tam in Romana curia quam extra eam ad id per eos et eorum singulos eligendi, seu eligendae quascumque pensiones annuas eis, et eorum singulis super quibuscumque fructibus etc. juribus, obventionibus, et emolumentis universis certis et incertis quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium, et abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis etiam ratione servitii, et mercedis dignitatum, canonicatuum et praebendarum caeterorumque aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura saecularium, et quorumvis ordinum regularium non tamen per S. R. E. cardinales obtentorum reservatas, seu reservandas, seu fructus etc. hujusmodi beneficiorum reservatos seu reservandos, etiamsi semel, vel pluries translatae, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum auri de Camera similium in toto vel in parte, ac in una, seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo cassare, et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas seu fructus hujusmodi usque ad summam praefatam centum ducatorum uni, vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, vel etiam clericali charactere tunc temporis nondum insignitis cum clausula tamen ex tunc, prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint, seu alias pensionum, seu fructuum hujusmodi capacibus per eosdem conclavistas, et illorum singulos nominandos etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut expectantibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo, et forma quibus eisdem conclavistis reservatae, seu reservati erant, etiam absque beneficia hujusmodi obtinentium consensu integre persolvendas, et per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, et levandas, aut percipiendos, exigendos, et levandos reservare, constituere, concedere, et assignare possint, ita ut praefati translatarii in quasi possessione pensiones seu fructus etc. hujusmodi exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, concedimus et indulgemus, etiamsi similem gratiam a Ro-

Exceptis equitibus s. Joannis Hierosolymitani.

Facultas concessa etiam equitibus cujuscumque militiae non deferendi habitum et tonsuram clericalem.

Etiam retinendi pensiones usque ad summam ducatorum 200.

Facultas transferendi pensiones usque ad summam 100 ducatorum.

Ampliatio a non clericos.

manis pontificibus praedecessoribus Nostris alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto, et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam, et concessionem impedire nolumus, sed cumulative concessas esse volumus, ita et quilibet eorem cumulative, et ampliativa praefatis facultatibus, praesentibus, et praeteritis privilegiis hac in re concessis, uti, frui et potiri possint, decernentes novas reservationes, constitutiones, concessiones, assignationes, et translationes pensionum ac fructuum etc. hujusmodi ut praefertur faciendas ex nunc, prout postquam factae fuerint plenam roboris firmitatem obtinere, ipsaque beneficia super quorum fructibus etc. aliisque hujusmodi reservatae fuerint obtinentes; ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore; nec non quod omnes et quaecumque gratias, provisiones, commendas, et quaevis aliae literae apostolicae provisionem quorumsumque beneficiorum ecclesiasticorum eisdem conclavistis, et eorum cuilibet gratis dentur, concedantur, et expediantur, ac dari, concedi, et expediri omnino debeant praecipimus, et mandamus. Ac insuper ipsis conclavistis, et eorum cuilibet, ut alia similia et dissimilia indulta, privilegia, facultates, et gratias hactenus eis, et eorum cuilibet per Nos et Romanos pontifices praedecessores Nostros, et Sedem praefatam concessa in suo robore et firmitate cum praesentibus stare, ac illorum omnium et singulorum tenores perinde ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus haberi volumus pro expressis, quam in posterum concedenda specialia, vel generalia quibus per praesentes, ac praesentibus per illa minime in aliquo praejudicare intendimus, ita ut qaaecumque et qualiacumque fuerint unum alteri derogare non censeatur, sed eos et eorum quemlibet illis simel ac cum praesentibus praedictis cumulative, vel singulariter, prout eisdem conclavistis, et eorum cuilibet magis expediens videbitur frui, et gaudere posse decernimus, dummodo tamen praesentibus non adversentur similiter, concedimus, et indulgemus. Postremo eosdem conclavistas eorumque aliquem ad praesentem motum proprium, seu literas super praesentibus si videbitur conficiendas in dicta Camera insinuandum aut admitti, et registrari petendum minime teneri, nec illem, seu illas etiamsi motus proprius, et literae hujusmodi intra legitimum tempus insinuatas, admissus, et registratus non fuerit, see illae insinuatae, admissae seu registratae non fuerint, propterea minus validum seu validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, ac motum proprium et literas hujusmodi, et in eis contenta quaecumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent, vel moderarentur, quae a Nobis et a dicta Sede pro tempore, et ex quibusvis causibus etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, ac divini cultus augmentum etiam consistorialiter, vel alia quavis auctoritate hactenes, vel in posterum emanaverint minime comprehensum, et comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt, toties eum, et eas in pristinum statem restitutum, repositum, et plenarie reintegratum et restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, seu restituendum reponendem et plenarie reintegrandom, et restituendas reponendas, et plenarie reintegrandas censeri. Constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque supradictis, ut aliis contrariis nequaquam obstantibus motu, scientia et auctoritate similibus de speciali gratia indulgemus; sicque per quoscumqee judices, etiam commissarios quavis auctoritate fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet in quavis instantia aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, irritumque ac attentari. Et insuper dilecto filio Nostro Julio Maria episcopo Ostiensi Veliternensi Sanctae Romana Ecclesiae cardinali de Somelia nuncupato sacri collegii decano ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellario, ac literarum apostolicarum summatori, et dilectis filiis Camerae apostolicae ministris, praesidenti plumbi aliisque officialibus, ad quos litorarum praefatarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat et pertinet sub poenis indignationis Nostrae motu simili mandamus, ut praefatas literas super praedictis omnibus et singulis tam conjunctim, quam separatim pro singulis quibus concessa fuerunt cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis, et clausulis in eis contentis gratis etiam quoad compositionem in Dataria Nostra, et

Cumulativa similium gratiarum.

Expeditio literarum apostolicarum gratis.

Confirmatio aliorum similium, vel dissimilium privilegiorum.

Exemptio ab insinuatione in Camera.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Expeditio gratuita et derogationes.

per eamdem viam secretam absque alio mandato expediant et expediri faciant. Non obstantibus praemissis ac Nostra et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, et felicis recordationis Pii pp. IV. praedecessoris Nostri de similibus, ac dissimilibus gratiis in dicta Camera infra tres menses praesentandis et registrandis, ac Nostris et cancellariae apostolicae praefatae regulis in crastinum dictae assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem editis, et in dicta cancellaria publicatis, ac etiam in universalibus, et provincialibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, aliisque licet specialis et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis specialis et individua habenda mentio, eorumque tenores inserendi forent, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu proprio derogamus, contrariis quibuscumque.

Fiat motu-proprio F. X.

Et cum absolutione a censuris ad effectum et cum declaratione quod reliqua privilegia, et indulta contenta in similibus motus proprii schedulis a nonnullis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris favore conclavistarum alias editis ob hodiernas rerum ac temporum circumstantias pro nunc in suspenso remaneant. Et quod praesentis Nostri motus proprii schedulae signatura sufficiat et ubique fidem faciat in judicio et extra regula quacumque contraria non obstante. Et quod praemissorum omnium et singulorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in literis per eamdem viam secretam si videbitur expediendis in quibus singulorum conclavistarum nomina et cognomina patria, dioecesis, ordines, gradus, qualitates, requisita exprimi et describi seu pro expressis et descriptis haberi possint, inter quos sacrista, et magistri caeremoniarum cappellae Nostrae, nec non secretarius collegii eorumdem cardinalium, et caeteri alii in notulis per ipsos magistros caeremoniarum confecta adnotati erunt et descripti. Volumus autem quod literarum super praesentibus conficiendarum, ac etiam praesentis Nostri motus proprii transumptis impressis, ac manu alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis et sigillo munitis eadem fides tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus literis vel praesenti motui proprio originali adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae, aut exhibitus, vel ostensus foret « Fiat. F. X. Datum Romae apud sanctum Petrum sexto kalendas julii anno primo.

Nomina conclavistarum sunt sequentia videlicet.

Reverendissimus dominus fr. Ioseph Perugini terrae Gradularum dioecesis Montisflascenensis ex ordine Eremitarum s. Augustini episcopus Porphyriensis in partibus Infidelium sacrarii apostolici praefectus. Sacrista.

R. P. D. Paulus Polidorius Æsinus basilicae Liberianae canonicus, s. congregationis Consistorialis ac sacri collegii secretarius. Sacri collegii secretarius.

Dominicus Zucchè Romanus apostolicis caeremoniis praefectus. Caeremoniarum magistri

Alexander Lazzarini Romanus basilicae s. Mariae Transtyberim canonicus, et ethires lector emeritus.

Felix Maria Renazzi Romanus insignis collegiatae s. Eustachii de urbe canonicus.

Matthias Pieri Romanus basilicae Lateranensis clericus beneficiatus.

Joannes Baptista Adami basilicae Lateranensis beneficiatus.

Joseph de Ligne insignis collegiatae s. Eustachii canonicus, s. congregationis Caeremonialis segretarius, sacrae congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum consultor, et in seminario Romano sacrae liturgiae professor; magistri caeremoniarum.

Silvius Lanciani presbyter Tiburtinus sacrae Poenitentiariae scriptor supranumerarius, Candidus Buldrini laicus Cingulanus; Nostri dum cardinalatus honore fungebamur. Conclavistae.

Antonius Menichelli presbyter Portuensis, civis Romanus, et insignis collegiatae Castri Novi dictae dioecesis canonicus, Joannes Baptista Baldassarri laicus Romanus; Julii Mariae episcopi Ostiensis della Somaglia.

Cosimus Pedicini presbyter Beneventanus, Michael Schonneshoffen laicus Coloniensis dioecesis; Bartholomaei episcopi Portuensis Pacca.

Franciscus Velletri presbyter Romanus basilicae Principis Apostolorum beneficiatus, Antonius Sanzè laicus Romanus; Petri-Francisci episcopi Albanensis Galleffi.

Joseph Fazj presbyter, et canonicus terrae Rignani dioecesis Civitatis Castellanae, Franciscus Minciecchi laicus Romanus; Thomae episcopi Sabinensis Arezzo.

Joachim Sabelli presbyter dioecesis Tusculanae, Aloisius Zambrini laicus Forocorneliensis; Francisci episcopi Praenestinorum Bertazzoli.

Benedictus Righini presbyter dioecesis Foroliviensis, canonicus sanctae Mariae ad Martyres de urbe, Philippus Picchi presbyter Cortonensis, Joseph Lauretti laicus Romanus; Emmanuelis tituli sancti Alexii, nunc episcopi Tusculani, de Gregorio. Venerabilium fratrum Nostrorum episcoporum S. R. E. cardinalium.

Donatus de Cois presbyter Neapolitanus canonicus collegiatae ecclesiae Venafri dioecesis Sarnensis, Aloisius de Cois laicus Neapolitanus, et Aloisius Bianchi laicus Romanus; Josephi tituli s. Eusebii Firrao.

Dominicus Sacchinelli presbyter Calaber, Franciscus Colucci laicus Neapolitanus; Aloisii tituli ss. Martini et Silvestri ad Montes Ruffo-Scylla.

Petrus Piatelli presbyter Romanus in sacra theologia professor emeritus, Antonius Tener laicus Mediolanensis; Josephi tituli s. Laurentii in Lucina Fesch.

Franciscus Casini presbyter Bononiensis, Joannes Petrus Hedin laicus Gallus; Caroli tituli s. Bernardi ad Thermas Opizzoni.

Franciscus Spina presbyter Panormitanus, Aloisius Semonte laicus Neapolitanus; Petri tituli s. Laurentii in Pane et Perna Gravina.

Petrus Dardanus presbyter Alexandrinus, Angelus Bambi laicus Florentinus; Josephi tituli s. Mariae Angelorum Morozzo.

Laurentius Bodegani presbyter dioecesis Camerinensis, Ferdinandus Corioli laicus dioecesis Maceratensis; Fabritii tituli s. Pudentianae Sceberas Testaferrata.

Nicolaus Marcangeli presbyter Sabinensis, basilicae s. Mariae in Cosmedin canonicus, Aloisius Cinelli laicus Romanus; Benedicti tituli s. Clementis Naro.

Joseph Confienti presbyter Romanus s. theologiae doctor, Bartholomaeus Petroncini laicus Ferrariensis; Georgii tituli sanctae Caeciliae Doria Pamphily.

Berger vicarius generalis Tolosanae ecclesiae, Clausel de Coussergues vicarius generalis ecclesiae Versaliensis, Michael Antonius Bozy laicus; Annae Antonii tituli sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio Clermont-Tonnere.

Joannes Baptista Canneiia presbyter Aquilanus in utroque jure doctor, Vincentius Rinaldi laicus Romanus; Joannis Francisci tituli s. Mariae Transtyberim Falzacappa.

Ludovicus Tevoli presbyter nobilis Romanus s. theologiae et utriusque juris doctor, Petrus Paulus Cinotti laicus Romanus; Antonii tituli s. Silvestri in Capite Pallotta.

Thomas Sciolari presbyter Romanus insignis collegiatae s. Mariae in Via-lata de urbe beneficiatus, Antonius Peroni laicus Romanus; Caroli tituli s. Mariae de Pace Pedicini.

Carolus Barabuglini presbyter dioecesis Firmanae patritius Sarsinatensis, insignis collegiatae s. Eustachii de urbe canonicus, Vincentius Carosini laicus Romanus; Herculis tituli s. Balbinae Dandini.

Joseph Jaccarini presbyter Romanus insignis collegiatae s. Mariae in Via-Lata de urbe canonicus coadjutor, Joseph Legge laicus Romanus; Caroli tituli ss. XII. Apostolorum Odescalchi.

Vincentius Santucci presbyter dioecesis Anagninae in philosophia, et sacra theologia doctor, et academiae theologicae censor in archigymnasio Romano, Franciscus Calvi laicus Romanus; Placidi tituli sanctae Crucis in Jerusalem Zurla.

Franciscus Salesius de Belland presbyter Tolosanus, archidiaconus, et vicarius generalis ecclesiae Senonensis, Joseph Weber laicus dioecesis Argentoratensis; Annae Ludovici Enrici tituli s. Mariae Transpontinae de La Fare.

Joannes Pellei presbyter et canonicus cathedralis ecclesiae Montis Alti juris utriusque doctor et archidioecesis Beneventanae examinator sinodalis, Aloisius Testa laicus Perusinus; Joannis Baptistae tituli s. Pancratii Bussi.

Philippus Benedetti presbyter et canonicus cathedralis ecclesiae Cornetanae, Victorius Massi laicus Romanus; Bonaventurae tituli sancti Bartholomaei in Insula Gazzola.

Aloisius Sebastianus Alloq presbyter dioecesis Utinensis, Leopoldus Kainz laicus dioecesis Passaviensis; Caroli Cajetani tituli s. Marci Gaisruck.

Aloisius Boatti presbyter Asculanus, Aloisius Bosttelli laicus Romanus; Lodovici tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Micara.

Petrus Maria Joseph Coudrin presbyter dioecesis Pictsviensis, vicarius generalis ecclesiae Rothomagensis, Michael Frisechholz laicus dioecesis Ratsbonensis Gustavi Maximiliani Justi tituli s. Sabinae ex principibus a Croy.

Laurentius Lucidi presbyter Sublacensis in sacra theologia doctor, et in utroque jure licentiatus, Cajetanus Moroni laicus Romanus; Mauri tituli sancti Callixti Cappellari.

Antonius Petrus Gasto de Sambucy presbyter dioecesis Ruthenensis vicarius generalis ecclesiae Rhemensis, Joannes Carolus Hebert laicus dioecesis Bajocensis; Joannis Baptistae Mariae Annae Antonii tituli sancti Xisti de Latil.

Joannes Baptista Palma presbyter Romanus in sacra theologia doctor, ac historiae ecclesiasticae professor, Franciscus Vinci laicus dioecesis Tusculanae; Petri tituli sanctorum Nerei, et Achillei Caprano.

Marianus Massucci presbyter Romanus insignis collegiatae s. Eustachii canonicus, Franciscus Poletti laicus Mediolanensis; Jacobi tituli sanctorum Petri et Marcellini Giustiniani.

Joachim Pastacaldi presbyter Romanus basilicae sanctae Mariae Reginae Coeli in Monte Sancto archipresbyter, Dominicus Montelli laicus Romanus; Vincentii tituli sanctorum Joannis et Pauli in monte Coelio Macchi.

Natanael Fucili presbyter Recinatensis, Joseph Casapietra laicus Jannensis; Jacobi-Philippi tituli sanctae Mariae in Aracoeli Fransoni.

Prosper Caterini presbyter dioecesis Aquipendiensis in sacra theologia et in utroque jure doctor insignis collegiatae sanctae Mariae in Via-Lata de urbe canonicus; Franciscus Luzj laicus Romanus; Benedicti tituli sanctae Mariae supra Minervam Barberini.

Ludovicus Lepri presbyter Romanus, Cajetanus Flaminj laicus Anconitanus; Joannis Antonii tituli sanctorum Quirici et Julittae Benvenuti.

Silvester Belli presbyter Anagninus sacrosanctae basilicae Vaticanae beneficiatus et in sacra Poenitentiaria pro-sigillator, Vincentius Sgarbi laicus Mantuanus; Ignatii tituli sanctae Agnetis extra muros Nasalli.

Sanctes Raphael Casanelli presbyter dioecesis Adjacensis in sacra theologia doctor, Joannes Janni laicus Romanus, in Romana curia advocatus, Franciscus Alauset laicus dioecesis Ruthenensis; Joachim Joannis Xaverii tituli sancti Petri in Vinculis de Isoard.

Franciscus Ricci presbyter Tusculanae dioecesis sacrosanctae Lateranensis basilicae clericus beneficiatus, Laurentius Bassani laicus Imolensis; Antonii-Dominici tituli sanctae Praxedis Gamberini. Presbyterorum S. R. E. cardinalium.

Julianus Nicolai laicus Romanus, Sanctes Vannucchi laicus Romanus; Josephi s. Mariae in via-Lata Albani.

Joseph Marcelli presbyter dioecesis Senogalliensis, protonotarius apostolicus, juris utriusque doctor, patritius Arceviensis, Joseph Gavignani laicus Mediolanensis; Joannis sanctorum Cosmae et Damiani Cacria-Piatti.

Pacificus Carassai presbyter Septempedanus, Nicolaus Medosi laicus Romanus; Petri sancti Nicolai in Carcere Tulliano Vidoni.

Philippus Gelli presbyter Ravennatensis, Jacobus Mongardini laicus Lauretanus; Augustini Sanctae Mariae ad Martyres Rivarola.

Petrus Porfirj presbyter Sabinus, Vincentius Carpi laicus Romanus; Caesaris sancti Adriani Guerrieri Gonzaga.

Felix Sancti clericus Romanus, Antonius Lapini laicus Florentinus; Antonii sanctae Mariae in Cosmedin Frosini.

Aloisius Paganelli presbyter Maceratensis, Franciscus Silli laicus dioecesis Camerinensis; Thomae sanctae Mariae in Domnica Riario-Sforza.

Cajetanus Alessandri presbyter dioecesis Urbinatensis in sacra theologia doctor, Thomas Volpini laicus Montis Falisci; Thomae sancti Caesarei Bernetti.

Joannes Brunelli presbyter Romanus in sacra theologia doctor, et in sacrosancta basilica Vaticana beneficiatus, Augustinus Cedroni laicus Romanus; Belisarii sanctae Mariae in Campitelli Cristaldi.

Stephanus Axpeytia clericus dioecesis Tirasonensis in Romana curia advocatus, Joseph Sampieri laicus civitatis Castelli; Joannis Francisci sanctae Agatae ad Suburram Marco y Catalan. Diaconorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium.

Confessarius. Fr. Laurentius de Camerata ordinis s. Francisci Cappuccinorum, orator apostolicus, confessarius.

Subsacrista. Fr. Magister Joseph Gianotti ordinis Eremitarum sancti Augustini, subsacrista.

Dominicus Connestabili presbyter Sabinensis, coadiutor in officio sacristiae.

Adjutores in secretaria sacri collegii. Petrus Caterini presbyter dioecesis Aquipendiensis sacri collegii, sollicitator et sacrae congregationis Consistorialis substitutus.

Philippus Baffi clericus Veruianae dioecesis sacrae Consistorialis aulae advocatos, adjutores in secretaria sacri collegii.

Missis celebrandis inserviens. Fr. Hieronymus Settajoli ex ordine Eremitarum sancti Augustini, missis celebrandis inserviens.

Medici. Michael Angelus Poggioli Romanus, philosophiae et medicinae doctor in Romano archigymnasio publicus medicinae professor, et ex collegio archiatrorum Urbis; Franciscus Valori dioecesis Narniensis in philosophia et medicina doctor.

Chirurgus. Franciscus Bucci dioecesis Reatinae in chirurgia doctor et in archiospitali s. Spiritus anatomiae professor.

Aromatarius. Aloisius Ranuzzi laicus dioecesis Sabinensis aromatarius, Franciscus Corsoli dioecesis Sabinensis, Franciscus Testa dioecesis Tusculanae, ejus auxiliatores.

Dominicus Caparroni Romanus.

Barbitonsores. Joseph Piazza Romanus, barbitonsores.

Paulus Modesti Romanus, Cajetanus Sacchi Romanus, eorum auxiliatores.

Fabri. Antonius Cassetta Romanus faber lignarius.

Nicolaus Moraldi Romanus faber caementarius, Joseph de Camilli Romanus ejus juvenis.

Philippus Panfili Romanus faber ferrarius, Joannes Breschi Romanus ejus juvenis.

Joannes Marietta Romanus faber stannarius.

Joannes Baptista Palombi Romanus faber vitriarius.

Scopatores. Joannes Sioceri Cingulanus.
Paulus Tei.
Joseph Schonneshoffen Romanus.
Joannes Orlandi.
Andreas Zuccheri Romanus.
Joannes Baptista Giannottis Taurinensis.
Dominicus Fabri.
Joseph Sciaiffi Romanus.
Petrus Frosard Helvetus.
Joseph Miglionni.
Joseph Mazzoni.
Salvator Barcellona Panormitanus.
Felix Gelosi Romanus.
Franciscus Ranucci Romanus.
Cajetanus Benvenuti Romanus.
Joannes Maltoo Romanus.
Courtroi Gallus.
Joseph de Gasperis.
Nicolaus Orioli Romanus.
Constantinus Molini.
Bernardus Segarini Romanus.
Joachim Bianchi Romanus.
Joseph Fontini Senogalliensis.
Felix Sens dioecesis Argentinensis.
Franciscus de Sanctis Cerviensis.
Franciscus Pucci Perusinus.
Franciscus Barnucca dioecesis Comensis.
Petrus Costa.
Petrus Piquot dioecesis Rothomagensis
Petrus Bernardini Lucensis.
Lucas Ripa dioecesis Urbinatensis.
Petrus Bartoli Romanus.
Benedictus Mancini.
Joannes Acuosto Neapolitanus.
Joannes de Girolami Romanus.
Carolus Stabile Romanus.
Rochus Biamonti Romanus.
Bartholomaeus Masci Romanus.
Thomas Joseph Barthelemy dioecesis Nemorcensis.
Octavius Processi Montis Falisci.
Vincentius Renzi.
Joseph Fiorini Romanus.
Antonius Focardi Romanus.
Antonius Monbelli.
Vincentius Baldi.
Angelus Conti-Pisaurensis.
Joseph Piani.
Joannes Rossi Comensis.
Joseph Zanini Helvetus.
Stephanus Pasquali.
Dominicus Segarini Romanus.
Constantinus de Sanctis.
Franciscus Antonelli Romanus. (Scopatores communes.)
Carolus Feliziani.
Joseph Biondi Romanus.
Valerius Bonatti.
Antonius Ghirlanda Romanus.
Dominicus Simonelli.
Urbanus Concordia.

Aloisius Gargani.
Antonius Graziosi.
Vincentius Buzzonetti.

XXIII.

Dat. die 29. Junii 1829. Anno I.

Deputatio visitatoris apostolici in mensa nummularia Sancti Spiritus.

Dilecto Filio Nostro Herculi S. R. E. presbytero Cardinali Dandini nuncupato.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Inter multiplices, gravissimasque apostolatus Nostri curas, illa Nos jugiter sollicitos habet, ut ea loca, quae ad publicum commodum, et utilitatem, pauperum refrigerium, aegrotorum solamen, ac puerorum, puellarumque educationem pie, ac provide instituta sunt, feliciter, sanctissimeque ad normam sanctionum praedecessorum Nostrorum, veterisque disciplinae regantur, et gubernentur.

Ratio, et tenor concessionis. §. 2. Hinc est quod Nos ecclesiam, domum, valetudinarium, sive archiospitale, additumque ipsi locum amentibus curandis destinatum, mensam nummulariam Sancti Spiritus in Saxia nuncupatam almae urbis Nostrae, et omnia, et singula praedictis adnexa, et connexa, pro feliciori, salubriorique ipsorum regimine, ac gubernio, et majori redditium incremento, visitari cupientes, ac de tua spectata fide, prudentia, doctrina, charitate, et experientia, ac notitia rerum archihospitalis praedicti, cui alias tamquam commendatarius antequam ad cardinalitiam dignitatem fuisses evectus, laudabiliter praefuisti, maximopere in Domino confisi, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te ecclesiae canonicorum, domus, archihospitalis, mensae nummulariae, officialium, praeceptorum, tam in capite, quam in membris, ac omnium, et singulorum adnexorum, et connexorum praedictorum, visitatorem apostolicum cum omnibus, et singulis facultatibus necessariis, et opportunis, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus, tibique socium, seu convisitatorem in subsidium gravi hoc in explendo munere assignamus dilectum filium Romanae curiae praelatum Antonium Ciuja ejusdem Sancti Spiritus in Saxia commendatarium per alias Nostras in simili forma brevis hodie datas literas renuntiatum.

Leges implendae. §. 3. Volumus autem, ut primum omnes, et singulos libros, computa, et rationes ministrorum tam ecclesiae, domus, et archihospitalis, quam mensae nummulariae praedictorum inspicialis, et omnem usque ad hanc diem peractae, et exercitae administrationis rationem a praedictis ministris vobis reddendam curetis, et praecipitatis, atque omnino repetatis, et exigatis, ac si qui ex ipsis ministris propter eorum defectus, delicta, et flagitia corrigendi, et puniendi, etiam criminaliter, nec non removendi fuerint, corrigatis, et criminaliter pro criminum gravitate puniatis, et amoveatis, atque in eorum locum alios ministros deputetis, et subrogetis.

Facultates visitatori tributae. §. 4. Quod si vero prudentiae tuae expedire visum fuerit mercedes, stipendia, et salaria iisdem ministris praestari solita vel augenda, vel diminuenda esse, non solum illa augendi, vel imminuendi, verum etiam ubi opus fuerit, novas pro unoquoque ministerio regulas praescribendi, et quascumque providentiae rationes, quae ad abusus auferendos, tollendosque, et ad meliorem directionem, regulam, et ordinem tam praedictae mensae nummulariae, quam praefatis ecclesiae canonicis, domui, archihospitali, caeterisque dandum, constituendumque necessariae, et opportunae fuerint, capiendi, et ineundi facultatem concedimus, et impertimur. Deinde volumus, et mandamus, ut omnium capitalium, et praediorum, tam urbanorum, quam rusticorum fundorum, vulgo tenute, et aliorum bonorum ruralium quorumcumque fructus, redditus, et proventus certo judicio ponderetis, et examinetis, atque etiam si utilius, ac magis proficuum fuerit, praedicta capitalia cujuscumque generis praedia tam urbana, quam rustica aut locationi addicatis, aut ad meliorem oeconomiam reducatis, aut etiam vendatis, aut permutetis, aut in emphytheusim concedatis. Praeterea eadem auctoritate apostolica facultatem pariter tribuimus, et elargimur visitandi, et cognoscendi ordinem

canonicorum tam universaliter, quam particulariter, cum in capite, tum in membris; inspiciendi statum commendarum, seu praeceptoriarum, sive prioratuum, in vitam, morem, disciplinam, et ministerium, quod aegris, aliisque officii muniis praestare tenentur, diligenter inquirendi, corrigendi, atque etiam prioratibus ipsis eos privandi (dummodo in suis respective muneribus aut deesse, aut delinquere constiterit), atque ea omnia hac in parte, quae divino cultui, et animarum saluti magis consentanea duxeritis, disponendi, et statuendi.

Concessio judicis privativi in causis agendis adversus debitores mensae nummulariae

§. 5. Insuper, ut omnes, et singuli sive ecclesiae, domui, atque archihospitali, sive mensae nummulariae praedictis aere obnoxii, et debitores ad sua praefatis debita solvenda juridice cogantur, facultatem pariter tribuimus, et damus eligendi, et deputandi ad hujusmodi effectum judicem, qui omnimodam, et privativam judicandi omnem causam, et litem sive introductam sive introducendam adversus praefatos debitores, et aere obnoxios, sive in quocumque alio tribunali; etiam palatii apostolici praefecti, et sacrae Romanae, et universalis Inquisitionis, aliorumque quorum expressa etiam mentio fieri debeat, pendentem, ab eoque, ubi introducta, et pendens erit, ad se avocandi et penitus decidendi, definiendique jurisdictionem habeat. In conficiendis vero processibus, ad praemissa spectantibus, idem, quo antea, tam domus, et archihospitale, quam mensa nummularia solebant uti, officium notarii usui esse poterit. Denique volumus, et mandamus, ut nullam sive a quibuscumque decretis a te tamquam visitatore apostolico in praemissis a Nobis constituto factis, et faciendis, sive a decretis, et sententiis a judice per te in praemissis pariter deputato contra debitores quoscumque tam ecclesiae et domus, quam mensae nummulariae praedictorum pronuntiatis et pronuntiandis posse interponi, esse, et fore appellationem, praeterquam vigore citationis, seu commissionis manu Nostra signatae.

Poenae adversus inobedientes indictae.

§. 6. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis, aliisque arbitrii Nostri poenis, universis, et singulis ecclesiae, domus, archihospitalis, et mensae nummulariae praedictorum ministris, officialibus, provisoribus, canonicis, superioribus, aliisque quocumque nomine nuncupatis personis, caeterisque, ad quos spectat, ut te in visitatorem apostolicum a Nobis, ut praefertur, deputatum recipiant, et recognoscant, et pari modo praedictum commendatarium convisitatorem, aliosque ut supra eligendos recognoscant, et recipiant, tibique ac commendatario, sive convisitatori, judicibus, ac personis praedictis in omnibus ad visitationem hujusmodi spectantibus pareant, omnino obediant, et obsequantur, vestraque salubria monita, decreta, mandata, et sententias humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis existant, seu alia specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, et inexcogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse: sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiter, et inconcusse observari: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios et

delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et ejusdem Sedis nuncios, aliosque quoslibet qoavis praeeminentia, et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet qusvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quamvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae, domus, archihospitalis, et mensae nummulariae praedictorum, et quorumvis ordinum, etiam militarium, ac praesertim hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, congregationum, institutorum, et societatum, et quorumvis monasteriorum, conventuum, basilicarum ecclesiarum, locorumque piorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis, ordinibus etiam militaribus, et hospitalis s. Joannis Hierosolymitani, congregationibus, institutis, societatibus, et monasteriis, conventibus, basilicis ecclesiis, et locis piis praedictis, illorumque respective superioribus, aliisque qoibuslibet judicibus, curiis, tribunalibus, etiam palatii apostolici praefecti, et sacrae Rotae, et universalis Inquisitionis, aliorumque, quorum expressa mentio fieri debeat, et personis quibuslibet, etiam quantumvis sublimibus ecclesiasticis, saecularibus, et regularibus tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, eorumque patentatis, ac simul etiam praefatae s. Romanae, et universalis Inquisitionis patentatis, ministris, et officialibus, aliisque specialissima mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, et pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta junii millesimo octingentesimo vicesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XXIV.

Dat. die 26 junii 1829. Anno I.

Confirmatio deputationis visitatorum locorum piorum factae a Leone XII.

Dilecto filio Nostro Tituli s. Crucis in Hierusalem S. R. E presbytero cardinali Zurla nuncupato Nostro in urbe, ejusque districtu vicario in spiritualibus generali, ac venerabilibus fratribus antistitibus, nec non dilectis filiis Romanae curiae praelatis pro nova ecclesiarum et locorum piorum almae urbis per fel. rec. Leonem PP. XII. decessorem Nostrum indicta visitatione, specialiter deputatis.

Pius pp. VIII.

Dilecte fili Noster, Venerabiles fratres, ac dilecti filii Salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Optatum novae visitationis omnium ecclesiarum, piorumque locorum hujus almae urbis effectum, quam apostolicae fel. rec.

Leonis pp. XII. decessoris Nostri die decima nona junii elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi septimi in simili forma brevis datae literae sollicitabant, summopere Nos quoque expectamus; hujusce enim visitationis opus tam salubriter divini cultus splendori adaugendo, et utriusque cleri, piorumque locorum omnium disciplinae promovendae institutum, commendabili haud responderet fini, nisi quid factum, quidve faciendum dignosceretur. Vos itaque, dilecte fili Noster, venerabiles fratres, ac dilecti filii, quibus sacrae ejusdem novae visitationis opus per decessorem Nostrum fuit demandatum, pastorali Nostra sollicitudine ad illud, quam citius fieri potest, explendum, in Domino hortamur; firma spe freti, vos eadem diligentia, qua opus praedictum lubentius aggressi estis, et accuratius tractastis, ad felicem exitum perducturos.

Tenor concessionis.

§. 2. Quamvis autem facultas per memoratas decessoris Nostri literas vobis concessae vigeant adhuc, Nos tamen, ne aliquid in dubiis habeatur, illas omnes confirmantes, vobis, quatenus opus sit, denuo per praesentes tribuimus, et impertimur. Denique, omnibus accurate explatis, si quid forte inveniatur, quod non sit peractum, integram hujusmodi rei causam ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis ecclesiarum, et locorum piorum hujus almae urbis auctoritate apostolica institutam, per vos remitti mandamus, quae Nostra auctoritate omnium decretorum observantiam curabit.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec praecipimus, atque mandamus, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 26. junii 1829. Anno I.

XXV.

Concessio privilegiorum facta dapiferis, qui in conclavi suae ad pontificatum assumptionis S. R. E. cardinalibus inservierunt.

Pius PP. VIII.

Urbis

Moto proprio etc.

Nos volentes dilectos filios Nostrum dum cardinalatus honore fungebamur, ac venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium dapiferos, qui conclavi, in quo divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique eo de causa labores, et incommoda substinuerunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, et privilegiis exornare, de mera liberalitate, et certa scientia Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine in familiares Nostros, atque illos ex eis qui clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres ex primis cardinalibus in quolibet ordine antiquiores dignos tali dignitate judicaverint, in Nostros et Sedis apostolicae notarios titulares, servata tamen forma constitutionis sanctae memoriae Pii pp. VII. praedecessoris Nostri, quae incipit « *Cum tanumeri* » sub data idibus decembris anno millesimo octingentesimo decimo octavo editae recipimus et admittimus, ac tam eos, quam alios dapiferos qui singulatim ab eisdem cardinalibus digni reputati fuerint, quique urbis, vel alicujus alterius ex civitatibus temporali dominio dictae Sanctae Romanae Ecclesiae, mediate vel immediate subiectis cives esse voluerint, singulos in ea ipsa civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ob eisdem tribus cardinalibus se admitti petierit, veros cives, ita ut ipsum jus civilitatis ad eorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, et deputamus. Ac eisdem dapiferis quod omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, ac praesentes, et quaevis aliae literae apostolicae, ac etiam in forma brevis pro illis expediendae gratis ubique expediantur, tam de capienda possessione nomine Camerae apostolicae, quam in favore literarum apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout Nostris familiaribus etiam gratis dantur, ac conceduntur, etiam dari et concedi debeant, praecipimus

Receptio in familiares.

In notarios.

Electio civilitatis etiam pro haeredibus.

Expeditio literarum apostolicarum gratis.

Facultas transferendi pensiones usque ad summam centum ducatorum.

et mandamus. Ac dapiferis praefatis, et eorum singulis, ut quicumque loci ordinarii vel canonici metropolitanarum, aut aliarum insignium ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiastica constitutae tam in Romana curia quam extra eam ad id per eos, et eorum singulos eligendi seu eligendae quascumque pensiones annuas eis eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis certis, et incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium, et abbatialium, et dignitatum, et canonicatuum, et praebendarum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, non tamen per S. R. E. cardinales obtentorum, et in posterum obtinendorum cum cura et sine cura saecularium, aut quorumvis ordinum regularium, seu fructus, redditus, et proventus, aliaque emolumenta, et distributiones hujusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas seu reservandos, etiamsi alias semel, vel pluries translatae, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum in toto vel parte, ac etiam in mortis articulo cassare et extinguere, ac post quam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, et proventus, et alia emolumenta, et distributiones hujusmodi usque ad summam praedictam uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eosdem dapiferos, et eorum singulos nominandis quotcumque, quaecumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus, alias tamen pensionum hujusmodi capacibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis eisdem modo et forma quibus eisdem dapiferis reservatae, seu reservati erant, etiam absque beneficia hujusmodi obtinentium consensu integre persolvendas, seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas, levandas ac percipiendos, exigendos, et levandos reservare, constituere, et assignare valeant; ipsique translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant, in omnibus, et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus, et indulgemus etiamsi similem gratiam a praedecessoribus Nostris alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere et potiri volumus, decernentes ipsas translationes, et novas reservationes, constitutiones, et assignationes pensionum seu fructuum, redditaum, et proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus, et proventibus reservatae fuerint obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem dapiferis, ut ratione quarumcumque pensionum eis et eorum cuilibet, super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, nunc et pro tempore reservatarum, et reservandarum habitum et tonsuram clericalem gestare, et in illis dummodo ipsi habitum decentem, et honestum deferant incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi, seu compelli, minusque alias sententias aut censuras etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum incurrere possint, ipsasque pensiones ad praefatam summam ducentorum ducatorum ascendentes, et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unica tantum, et virgine, recipere, et retinere. Postremo quod bona quaecumque ad dictos dapiferos et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum etiam canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum et obtinendorum, aut alias quomodolibet, et quovis quaesito colore, vel ingenio; seu eorum industria legitime tamen, et licite acquisita, et acquirenda etiam in urbe ejusque districtu, et ubicumque existentia spoliis minime subjaceant, sed ipsi dapiferi etiamsi religioni alicujus militiae, non tamen s. Joannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de jure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit testari et alias disponere; eisque ab intestato decedentibus, eorum haeredes quicumque succedere libere, et licite valeant simili modo concedimus, et indulgemus; praecipientes, et mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario,

Cumulative similium gratiarum.

Facultas retinendi pensiones ad summam bicentum ducatorum.

Absque necessitate deferendi habitum et tonsuram clericalem.

Exemptio a spoliis cum facultate testandi exceptis equitibus s. Joannis Hierosolymitani.

thesaurario, praesidentibus clericis camerae Nostrae apostolicae, ac quibuscumque aliis spoliorum hujusmodi collectoribus, ac militarium praefatorum officialibus, aut procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque haeredes dictorum dapiferorum desuper molestare audeant, seu praesumant, ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti, et codicillorum per ipsos dapiferos de eorum bonis hujusmodi servatis de jure servandis faciendas semper et perpetuo validas, et efficaces fore, nec eosdem dapiferos, eorumque aliquem ad literas super praesentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, et registrari faciendum teneri, nec illas, etiamsi infra tempus legitimum, insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque praesentes, et in eis contenta quaecumque sub quibusvis limitationibus, revocationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eos limitarent, aut moderarentur, quae a Nobis et dicta Sede pro tempore, et de quibusvis causis etiam urgentissimis etiam consistorialiter vel alias quavis auctoritate hactenus vel imposterum emanaverint, minime comprehendi, sed quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum repositas, et reintegratas esse, et censeri, sicque per quoscumque judices etiam commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causa, et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate ubique judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et insuper omnibus et singulis, ad quos earumdem literarum expeditio spectat, in virtute sanctae obedientiae, motu, scientia, et potestatis plenitudine mandamus, ut easdem praesentes, et forsan alias literas super praemissis omnibus tam conjunctim, quam divisim ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, et clausulis in eis contentis, gratis de mandato Nostro ubique expediant et expediri faciant; non obstantibus eisdem praemissis ac regula Nostra de praestando assensu in pensionibus, ac fel. rec. Pii pp. IV. praedecessoris Nostri de similibus gratis in Camera apostolica infra tres menses praesentandis ac registrandis, caeterisque, etiam speciali, et individua mentione dignis: quibus omnibus et singulis specialiter, et expresse harum serie motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Exemptio ab insinuatione Camera.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogationes.

Fiat motu proprio F. X.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. et cum derogatione regulae de non tollendo jure quaesito, et aliis derogationibus necessariis, et opportunis quatenus opus sit: Et quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque praemissorum omnium et singulorum major, et verior specificatio, et expressio fieri possit in literis, in quibus singulorum dapiferorum nomina, et cognomina, ordines, qualitates, gradus, dioeceses, patriae, et alia requisita exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint juxta notulam per ipsos, seu eorum deputatos confectam, simul vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis prout videbitur expedire et expediet. Volumus autem quod literarum super praesentibus conficiendarum transumptis etiam impressis et sigillo, et manu alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et subscriptis eadem fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Volumus praeterea quod sola praesentis motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio, et extra illud regula quacumque contraria non obstante. Fiat F. X. Datum Romae apud sanctum Petrum sexto kalendas julii, anno primo.

Nomina eminentissimorum, et reverendissimorum dominorum, et dapiferorum sunt haec, quas sequuntur nimirum.

Franciscus Xaverius Castiglioni, nunc Pius VIII. Cingulanus.

Cajetanus Leonetti presbyter Vernianus.

Episcopi VI.

Julius Maria episcopus Ostiensis et Velliternensis S. R. E. cardinalis della Somaglia

sacri collegii decanus et S. R. E. vice-cancellarius, Placentinus.

Eques Dominicus Bruti Romanus, patritius Ripanus.

Bartholomaeus episcopus Portuensis, sanctae Ruphinae et Centumcellarum S. R. E. cardinalis Pacca, Beneventanus.

Carolus ex marchionibus Curti Lepri patritius Romanus.

Petrus Franciscus episcopus Albanensis cardinalis Galleffi S. R. E. camerarius Cesenatensis.

Eques Joseph Galleffi patritius Cesenatensis.

Thomas episcopus Sabinensis S. R. E. cardinalis Arezzo, Siculus.

Carolus ex marchionibus Bevilacqua patritius Bononiensis.

Franciscus episcopus Praenestinus S. R. E. cardinalis Bertazzoli, de Lugo dioecesis Forocornellensis.

Aloisius Falcornari presbyter Romanus.

Emmanuel episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis de Gregorio, Neapolitanus.

Camillus Contini laicus Romanus.

Presbyteri XXXIII.

Joseph tituli s. Eusebii S. R. E. cardinalis Firrao Neapolitanus.

Eques Hieronymus Ruffo ex ducibus Bagnari Neapolitanus.

Aloisius tituli s. Martini ad Montes S. R. E. cardinalis Ruffo Scylla, Neapolitanus.

Eques Stephanus Fabbrini juris utriusque doctor, presbyter dioecesis Suanensis.

Joseph tituli s. Laurentii in Lucina S. R. E. cardinalis Fesch, Adjacensis.

Aloisius Pellegrini canonicus s. Mariae Transtyberim, in sacra theologia et in utroque jure doctor, presbyter Romanus.

Carolus tituli sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. cardinalis Opizzoni, Mediolanensis.

Philippus Pelli presbyter et civis Romanus.

Petrus tituli sancti Laurentii in Pano et Perna S. R. E. cardinalis Gravina, Agrigentinae dioecesis.

Eques Joseph ex marchionibus Longhi de Monte Longo eques s. Joannis Hierosolymitani patritius Romanus.

Joseph tituli sanctae Mariae Angelorum S. R. E. cardinalis Morozzo Taurinensis.

Comes Franciscus Roberti Pissimi, patritius Bodiensis Anconitanus.

Fabritius tituli sanctae Pudentianae S. R. E. cardinalis Sceberas-Testaferrata, Melitensis.

Angelus Bacchetti laicus Romanus.

Benedictus tituli sancti Clementis S. R. E. cardinalis Naro, Romanus.

Eques Hippolytus ex principibus Ruspoli Romanus.

Georgius tituli sanctae Caeciliae S. R. E. cardinalis ab Auria Pamphilj, Romanus.

Gregorius Caracciolo ex principibus Santobono Neapolitanus.

Anna Antonius tituli sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. cardinalis Clermont Tonnere, Parisiensis.

Raphael eques Ferrucci Asculanus.

Joannes Franciscus tituli sanctae Mariae Transtyberim S. R. E. cardinalis Falzacappa, Cornetanus.

Franciscus ex baronibus Ancajani patritius Spoletanus, Romanus.

Antonius tituli sancti Silvestri in Capito S. R. E. cardinalis Pallotta, Ferrariensis.

Joseph de Castris laicus dioecesis Privornensis.

Carolus Maria tituli sanctae Mariae de Pace S. R. E. cardinalis Pedicinus, Beneventanus.

Aloisius de Gregori laicus Romanus.

Hercules tituli sanctae Balbinae S. R. E. cardinalis Dandini, Romanus.

Joseph ex comitibus Malatesta patritius Romanus.

Carolus tituli ss. XII. apostolorum S. R. E. cardinalis Odescalchi, Romanus.

Vincentius Paganetti laicus Romanus.

Fr. Placidus tituli sanctae Crucis in Hierusalem S. R. E. cardinalis Zurla, Cremensis.

Aloisius Riggi laicus Romanus.

Anna Ludovicus Henricus tituli sanctae Mariae Transpontinae S. R. E. cardinalis de La Fare, dioecesis Lucionensis.

Joachim Andreuzzi laicus Romanus.

Joannes Baptista tituli sancti Pancratii S. R. E. cardinalis Bussi, Viterbiensis.

Andreas ex marchionibus Muti patritius Romanus.

Fr. Bonaventura tituli sancti Bartholomaei in Insula S. R. E. cardinalis Gazola, Placentinus.

Joannes Franciscus Benedetti patritius Cornetanus.

Carolus Cajetanus tituli sancti Marci S. R. E. cardinalis Gaisruk, dioecesis Gurcensis.

Joseph ex comitibus Malatesta patritius Romanus.

Fr. Ludovicus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. cardinalis Micara, Tusculanus.

Petrus Gizzi presbyter Romanus.

Gustavus Maximilianus Justus tituli sanctae Sabinae S. R. E. cardinalis a Croy, dioecesis Cameracensis.

Antonius de Vivier Gallus.

Fr. Maurus tituli sancti Callixti S. R. E. cardinalis Cappellari, Bellunensis.

Antonius Belli patritius Anagninus.

Joannes Baptista tituli sancti Xisti S. R. E. cardinalis de Latil, dioecesis Forojuliensis.

Eques Antonius Terigi dioecesis Adjacensis.

Petrus tituli sanctorum Nerei et Achillei S. R. E. cardinalis Caprano Romanus.

Matthaeus Asdenti laicus Romanus.

Jacobus tituli sanctorum Petri et Marcellini S. R. E. cardinalis Giustiniani, Romanus.

Pius ex comitibus Capranica patritius Romanus.

Vincentius tituli sanctorum Joannis et Pauli S. R. E. cardinalis Macchi, dioecesis Montis Falisci.

Comes Aloisius Pianciani patritius Senensis et Spoletanus, Romanus.

Jacobus Philippus tituli sancta Mariae in Ara Coeli S. R. E. cardinalis Fransoni, Januensis.

Joannes Baptista Arnaldi presbyter Albinganensis dioecesis.

Benedictus tituli sanctae Mariae supra Minervam S. R. E. cardinalis Barberini, Romanus.

Augustus ex principibus Chisii, clericus Romanus.

Joannes Antonius tituli sanctorum Quirici et Julittae S. R. E. cardinalis Benvenuti, dioecesis Senogalliensis.

Marchio Franciscus del Bufalo patritius Romanus.

Ignatius tituli sanctae Agnetis extra muros S. R. E. cardinalis Nasalli, Parmensis.

Julius ex comitibus Castelli subdiaconus Romanus patritius Interamnensis.

Joachim Joannes Xaverius tituli sancti Petri in Vinculis S. R. E. cardinalis de Isoard, Aquensis.

Gustavus de Isoard Aquensis.

Antonius Dominicus tituli sanctae Praxedis S. R. E. cardinalis Gamberini, Forocorneliensis.

Vincentius Bertini protonotarius apostolicus, presbyter Foroliviensis.

Diaconi X.

Joseph sanctae Mariae in Vialata S. R. E. cardinalis Albanus, Romanus.

Comes Hieronymus Roberti patritius Anconitanus.

Joannes sanctorum Cosmae et Damiani S. R. E. cardinalis Caccia-Piatti, Novariensis.

Eques Petrus Resse Romanus.

Petrus sancti Nicolai in carcere Tulliano S. R. E. cardinalis Vidoni, Cremonensis.

Antonius Massabò presbyter dioecesis Albinganensis.

Augustinus sanctae Mariae ad Martyres S. R. E. cardinalis Rivarola, Januensis.

Ignatius Muti canonicus metropolitanae ecclesiae Ravennatensis.

Caesar sancti Adriani S. R. E. cardinalis Guerrieri-Gonzaga, Mantuanus.

Leopoldus ex comitibus Pianciani, patritius Spoletanus, Romanus.

Antonius sanctae Mariae in Cosmedin S. R. E. cardinalis Frosini, Mutinensis.

Leonardus Magalli, juris utriusque doctor, laicus Romanus.

Thomas sanctae Mariae in Domnica S. R. E. cardinalis Riario-Sforza Neapolitanus.

Xistus ex ducibus Riario-Sforza, patritius Neapolitanus.

Thomas sancti Caesarei S. R. E. cardinalis Bernetti, Firmanus.

Aurelius Zaccardi presbyter Neapolitanus.

Belisarius sanctae Mariae in Porticu S. R. E. cardinalis Cristaldi, Romanus.

Eques Franciscus de Medici patritius Neapolitanus.

Joannes Franciscus sanctae Agathae ad Suburram S. R. E. cardinalis Marco y Catalan, dioecesis Caesaraugustanae.

Nicolaus Salvatori in Romana curia advocatus laicus dioecesis Verulanae.

Dat. die 26. junii 1829. Anno I.

XXVI.

Dotatio ecclesiae parochialis sanctae Crucis civitatis Novariensis.

Venerabili fratri
Archiepiscopo episcopo Novariensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis haud ita pridem curasti, in Novariensi civitate paroeciam, cui nomen s. Crucis, ob adversas superiorum temporum vices anno millesimo octogentesimo sexto extinctam, atque intra ejus limites nosocomium magnum fuisse; pro animarum vero infirmorum, notharumque filiarum inibi degentium regimine aliam esse paroeciam a s. Michaele Archangelo nomen adeptam, cujus subditi una cum nonnullis ejusdem paroeciae sanctae Crucis ad cathedralis ecclesiae paroeciam accessere magno cum illius rectorum detrimento. Addis praeterea, quo spiritualibus necessitatibus nosocomii consulatur, perutile fore paroeciam sancti Michaelis restituere, atque eidem nosocomio bona attribuere, quae olim paroeciae sanctae Crucis redditum constituebant, nunc autem beneficii, nomine coadjutoriae, parochi cathedralis ecclesiae, qua idem ipse parochus sanctae Crucis adhuc fruitur, idque fieri per emphytheusim perpetuam, soluta ab nosocomio annua pecuniae vi, vel canone perpetuo leucarum mille biscentum monetae Mediolanensis, quae scutatos nummos centum sexaginta Romani ponderis exaequant, quae quidem summa excedit circiter scutatis nummis quindecim annuum redditum, qui ex artis peritorum judicio ab eisdem bonis percipi posset. Post autem hodierni parochi sanctae Crucis mortem arbitrareris cam summam dispertire, ita ut ex tribus ejus partibus duae parochis ecclesiae cathedralis adjudicentur, quorum praefiniti redditus valde modici, reliqua vero in paroecia restituenda collocetur. Hujusmodi autem paroeciae censui adjungere quoque velis beneficium statim ao rectore caruerit, quod aliquando ad eam pertinebat. Narras demum, nosocomium paratum esse suppeditare quae opus sunt, ut paroecia statim restituatur, atque integrum parochi censum persolvere.

Tenor concessionis. §. 2. Quapropter tu, venerabilis frater, quum omnia circumspexeris, quumque animadverteris cathedralis ecclesiae paroeciam, coadjutoria, quae illi adimitur, haud omnino indigere, de consensu nosocomii administratorum nec non parochi sanctae Crucis, nunc cathedralis ecclesiae coadjutoris, supplici cum prece a Nobis petiisti, hujus rei ergo apostolica venia muniri. Nos igitur singulos quosque, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, de consilio congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum, et regularium praepositae, habita ratione eorum omnium, quae narrata sunt, itemque consensus ab archipresbytero, et parochis coadjutoribus, et praesertim a veteri s. Crucis parocho jam habiti, auctoritate Nostra apostolica tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut pro tuo arbitrio, et prudentia, servatis iis, quae servari opus est, limites paroeciae cathedralis ecclesiae retrahas, paroeciam in ecclesia ejusdem nosocomii erigas, novos subditos parocho in tempore statuas, ejusque redditus constituas. Eadem praeterea auctoritate Nostra apostolica tibi facultatem facimus, qua, si expedire censueris, perpetuum illius emphytheusis contractum cum administratoribus nosocomii majoris possis inire, pacto canone, de quo habita est mentio, ac praefinito quindennio. Quo quidem de canone cavebis, ut pendatur liber, et expers omnium onerum, quaeque ordinaria sint, vel extraordinaria, et sive rebus, sive personis imposita sunt, vel imponenda, utque inter eorum bonorum onera praecipuum ducatur, mandabisque pro solutione canonis, et oneribus aliis impiendis dari ab emphytheuta fidejussionem idoneam, vel canoni illi, et aliis oneribus aliam praeterea fundum subjici. Insuper curabis, ut fines bonorum, quae in emphytheusim traduntur, accurate demonstrentur in solemnibus tabulis hoc de contractu a

publico scriba conficiendis, atque illis inseratur bonorum descriptio linearis, quam plantam, vel mappam appellari mos est. Denique contractum muniet illis omnibus conditionibus, quas vel acta oblationis habent, vel ex consuetudine hujuscemodi contractibus addi solent.

Clausula subiata, et decretum irritans.

§. 3. Haec concedimus, atque mandamus, decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et iis, quos respiciunt, hoc tempore, futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, et aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, ac Pauli II., aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non legis fundationis paroeciarum, canonicorum collegii, beneficii, et nosocomii, de quibus agitur, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut quomodocumque cessante emphytheusi praedicta, illico emphytheuticus fundus cum adnexis rebus ac juribus ad paroeciam redeat, eaque cedant solo per quae bona meliora fuerint effecta, quin petitio renovandae concessionis hujusmodi, si quis illam urgeat, bono juri consentanea possit haberi. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 30. junii 1829. Anno I.

XXVII.

Damnatio, et excommunicatio Mathiae Delgado parochi dioecesis Guatimalensis in schismate prolapsi.

Venerabili fratri
Raymundo archiepiscopo Guatimalensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor damnationis.

§. 1. Literae fraternitatis tuae datae die vigesima sexta maji anni praeteriti ad praedecessorem Nostrum felicis recordationis Leonem XII. serius Nobis redditae sunt, quam urgens ipsa rei gravitas requirebat: acerbitate intima, ac quasi gravissimo vulnere percelli cor Nostrum persensimus, ubi ex his cognovimus, infandum schisma, quod a pluribus annis istic conflatum est, adhuc perdurare, et forsan audacius diffundi enixis nonnullorum perditorum hominum conatibus. Retulisti enim parochum Mathiam Delgado tanti facinoris vel auctorem, vel praecipuum patronum, quin pareret monitis, et minis praefati praedecessoris Nostri, cujus epistolam, in qua hujusmodi adhortationes, et minae continebantur jamdiu ipse accepit, ulterius in schismate fuisse progressum, et impedimenta etiam matrimonialia sanctae Sedi reservata dispensare procacissime audere; ac propterea exposcebas, illum ab hac sancta Sede, tamquam protervum schismaticum, et schismatis auctorem anathemate puniri, et excommunicatum toti Ecclesiae denuntiari. Ut vero in re tanti momenti, qua par erat, circumspectione, et maturitate procederemus, peculiari congregationi aliquot venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae accuratum universae ipsius rei examen committendum judicavimus, qua audita, et iis omnibus attente perpensis, quae vel a te, venerabilis frater, relata sunt, vel ex missis documentis constabant, nec non mature consideratis actis omnibus super eadem re jam ante confectis Nobis visum est, tuis postulationibus assentiri. Quamobrem una cum Nostris hisce literis sententiam etiam Nostram in ipsum parochum, eosque omnes, qui ejus criminis participes sunt, accipies, eaque cures, ut ipsis quos respicit, innotescat, effectumque eo modo, quo praescripsimus, consequatur; atque fideles omnes pastorali tuae curae com-

missos prudentiori, qua judicaveris, ratione certiores de ea facias, ut et ipsi Nostris curis respondeant, se mandatis obtemperent. Caeterum hortamur te bono, ac forti animo esse, in ea vocatione manere, in qua vocatus es, et crucem, quam humeris tuis imposuit Dominus, patienter bajulare; nam necesse est, ut per multas tribulationes ad coelestem patriam, quo tendimus, perducamur; nec deserenda est statio, in qua Dominus inscrutabili suo judicio collocare Nos voluit. Nos divinam interim bonitatem assidue precari non desinemus, ut pastoralibus tuis laboribus, ac operibus fructum uberrimum largiri dignetur, in cujus auspicium apostolicam benedictionem tibi, gregique tuo amantissime impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 30. junii 1829. Anno I.

XXVIII.

Prorogatio pensionis impositae super bonis episcopatus Giennensis favore seminarii ejusdem civitatis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi regis catholici, ex apostolicis literis fel. rec. Pii VII. praedecessoris Nostri sub annulo piscatoris expeditis, ac datis anno millesimo octingentesimo decimo quinto ad annos quatuordecim prorogatam fuisse pensionem annuam ducatorum sexcentum octoginta septem monetae apostolico Nostro aerario probatae, ac praeterea juliorum octo cum dimidio Romani ponderis, quae summam exaequant ducatorum bis mille de Velloo monetae Hispanicae ab episcopatu Giennensi collegio seminario neophytorum regii sacelli Granatae pendendam. Quum autem illud temporis intervallum finem vel jam habuerit, vel mox mox habiturum, eaedemque adhuc vigeant rationes, quibus ea pensio fuit imposita, supplici cum prece serenissimus ille rex a Nobis postulavit, ut, assentiente ipso episcopo, simili prorogationis indulto ei collegio, consulamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos vero omnes, et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, praedictae summae pensionem a fel. rec. Pio pp. VII. praedecessore Nostro redditibus, ac fructibus episcopatus Giennensis in commodum collegii seminarii, de quo facta est mentio, impositam, ad alios quatuordecim annos a die cessantis ultimae concessionis supputandos apostolica auctoritate Nostra prorogamus, et ab ejusdem collegii rectore, seu administratore percipi volumus iis sub clausulis, quae superiori diplomate sunt insertae, omnibusque, et singulis non obstantibus, quae concessioni hujusmodi non obstare decretum est. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima junii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 7. julii 1829. Anno I.

XXIX.

Damnatio erectionis novae sedis Guatimalensis nefario ausu decretae laicali potestate in statu sancti Salvatoris Americae Occidentalis.

Dilectis filiis Universis catholicis in America Occidentalis partibus, ac in dioecesi Guatimalensi, et sancti Salvatoris statu commorantibus.

Pius PP. VIII.

Dilecte filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Coelestis agricola electam Christi vineam ejus sanguine acquisitam, in qua unica, et vera vitis ipse Christus est, cujus palmites tot sunt, quot in Christo radicati per ejus gratiam vivificantur fideles, humilitati Nostrae commendans, districte imposuit omnes palmites fructiferos ac feraces attente purgari, ut fructum plus afferant, non feraces vero fructum, justo judicii rigore ampu-

tari, succidi, et tolli. Servitutis igitur Nostrae officio obsequentes, cum ad universam, qua late patet Domini vineam oculos mentis Nostrae converterimus, ut nulla locorum distantia quotquot sunt in toto terrarum orbe nationes a sollicitudine Nostra disjungeret, novimus profecto non sine maxima animi Nostri acerbitate perturbationibus sane gravissimis cum magno animarum detrimento, ecclesiastici regiminis rationem jamdudum subjacere in istis Occidentalis Americae regionibus, quas sancti Salvatoris statum appellant, et quae Guatimalensis dioecesis partem constituunt.

Exponitur quomodo nova erectio locum habuerit et fuerit illico interdicta.

§. 2. Constat enim, superioribus temporibus ex parte istarum regionum moderatorum praetexto spiritualibus sancti Salvatoris status necessitatibus occurrendi, initum fuisse consilium de nova erigenda in eadem civitate sancti Salvatoris episcopali sede, illudque eorum decreto confirmatum, atque eo etiam deventum, ut hujusmodi novae sedis episcopus Mathias quidam Delgado, parochi munus in ista regione dudum exercens, renunciaretur. Quae quidem sacrilego ausu attentata cum silentio praeteriri, ac dissimulari nullo modo possent, quippe quae non solum apostolicae Sedis jura invadunt, et universam penae ecclesiasticam subvertunt disciplinam, sed et foedum conflant schisma cum evidenti christifidelium aeternae salutis dispendio; idcirco praedecessor Noster felicis recordationis Leo pp. XII. archiepiscopo Guatimalensi illico mandavit ut eidem parocho Mathiae Delgado, et si opus esset ipsis etiam rerum civilium moderatoribus, apostolicae Sedis nomine, et auctoritate denuntiaret, ab ea hujusmodi nefaria acta omnino reprobari; intrusumque parochum admoneri, ut e barathro emergeret, quo se dederat praecipitem, atque ipsum adhortaretur ad scandalum reparandum, et sanctae hujus Sedis misericordiam implorandam, ne invita cogeretur in ipsum decernere, quae sacrorum canonum severitas, ac supremi pastoris officium requirerat. Re quidem vera praefatus archiepiscopus ne pastorali debito, monerique tuendi episcopalia jura, praesentisque gregis sui periculo deesset, nullos sive obsecrationum, sive redargutionum, sive increpationum in omni patientia, et doctrina actus praetermiserat, alacriori tamen animo eos reassumpsit, et sanctae Sedis nomine, ac auctoritate perfecit, praedictum parochum adhortans, ut resipisceret aliquando, et ad saniorem mentem rediret; sed qui proprii pastoris vocem audire recusavit, nec monitionibus, nec adhortationibus, nec minis cessit, quae Jesu Christi vicarii nomine et auctoritate factae ipsi sunt, indignis, futilibusque cavillationibus usus, ut quod invaserat spirituale ministerium, in eo contumacius se obfirmarat. Porro res eo jam progressa fuerat, ut in tanta nefandi hujus criminis notorietate, tantaque ipsius parochi pervicacia, cum nona nulla emendationis, et resipiscentiae spes appareret, illico necessitas urgeret foedum schisma in ipsis primordiis comprimendi, ne ejus scandalum, ac virus latius diffunderetur; poenis per canonicas sanctiones in contumaces schismaticos statutis, jure quidem ac merito contra eumdem animadverti posset.

Admonitiones porrectae pseudo episcopo, ut a schismate resiliret.

§. 3. At praefatus praedecessor Noster felicis recordationis Leo pp. XII. apprime considerans magnam Dei longanimitatem, qui peccatores in multa patientia sustinet, nec eos vult perire, sed ad poenitentiam hujus apostolicae Romanae Sedis inhaerens, quae lenitate magis, quam rigore uti solet ad ipsos pervicaces filios corripiendos, maluit diutius experiri, utrum contingeret novo longanimitatis et patientiae exemplo eum ad bonam frugem revocare. Itaque literis datis mense decembri anni millesimi octingentesimi vigesimi sexti suum in ejus manibus effusse suae paternae charitatis testimonium deponere voluit, atque ipsi serio, et directe exposuit enormitatem peccati, quo se implicaverat, eumque ad poenitentiam peragendam, et ad scandalum reparandum graviter adhortatus est, constituto eidem peremptorio quinquaginta dierum termino ab eo die, quo hujusmodi literae ipsi redditae fuerint computandorum; quo elapso nulla praestita Ecclesiae satisfactione, nullaque habita ab ipso tanti criminis poenitentia, neque agendi ratione immutata, sententiam excommunicationis est minatus in eumdem proferre, ipsumque declarare ab Ecclesiae communione segregatum, et tamquam pervicacem schismaticum habendum, atque omnino vitandum.

Pertinacia pseudo episcopi aucta in dies ad

§. 4. Quis sanae mentis homo, sin minus ad paternas Jesu Christi vicarii ad, monitiones commotus, comminatione tamen adeo veren-

summum impudentiae gradum pervenit. dae poenae, terribilisque fulminis non horruisset? Attamen minime is se cohibuit, quem in scelere pertinaciter sustituendo, consummandoque, veluti diabolica quaedam furia, animi superbia, et cordis obduratio confirmare videbantur, accepimus enim ex certo nuncio, documentis indubiis comprobato, parochum praedictum Mathiam Delgado olbii his commotum, contumaciorem se praebuisse in spirituali ministerio, quod usurpaverat, ut ea etiam attentaverit, quae supremae pontificiae auctoritati reservata sunt, quae omnia ab ipso audacissime perpetrata apud vos, dilecti filii, notoria sunt, quam ut iis enarrandis, explicandisque opus sit immorari. Quamobrem cum is obsurdescat quotidie magis in nefandu schismate, nec desinat in praeceps ruere, ac novis in dies sceleribus se commaculare, cumque ecclesiasticae pacis, atque unitatis inimicum se praebeat, et a supremo patrefamilias moitando rogandoque revocatus, vel a publica bonorum execratione deterritus a via iniquitatis non deflexerit, quin et ipsam, quam semel ingressus fuit, insistat pergatque pervicacius, apostolicae Sedis moderationi, mansuetudini, ac lenitati locus amplius esse non potest. Oportet enim ut evangelicum illud praeceptum adimpleatur: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus ». Nam et ipse Paulus apostolus sciens modicum fermentum totam massam corrumpere « judicavit Corinthium tolli de medio fidelium, eumque tradi satanae in interitum carnis, et spiritus salvus esset in die Domini Nostri Jesu Christi; cujus criminis enormitas, qualis nec inter gentes, si tantum judicii severitatem jure est merita, mitiorem ne accipiat sententiam, qui vel ipsam Christi inconsutilem tunicam scindere adnisus est? Vel qui non intrans per ostium in Christi ovile, sed ascendens aliunde, ut oves furetur, et mactet, et perdat, ex divini magistri sententia tamquam fur habendus, et latro, is nonne expellendos, et longe ab ipso ovili profligandus? Atque utinam Nobis liceret parcere virgae quae in persona beati Petri a pastorum principe ad correctionem, punitionemque deviarum, et contumacium ovium, et ad aliorum exemplum, salutaremque terrorem, una cum custodia universi Dominici gregis Nobis commissa est! Utinam si haec ovis misere aberrans vocem pastoris auscultans ad Christi ovile reverti paratam se ostenderet! Nihil certe Nobis laetius, aut jucundius contingere posset, quam ad exemplum divini pastoris ovem, quae perierat, in humeros Nostros gaudentes imponere, ipsique reconciliari. Sed proh dolor! in tanta animi elatione obfirmataque contumacia, ut haec fausta eveniant, quaenam spes reliqua esse potest? Igitur secordiae potius, et ignaviae notam incurreremus, veluti in Dominici gregis custodia sedulo non vigilantes, si ovem tuo correptam a Christi ovili non arceremus; et jure verendum Nobis esset, magis ne accusaremur, qui sero id nimis, quam quod aut temere, aut praecipitanter fecerimus. Sollicitudo ergo Nostra de incolumi vestra spirituali salute, dilecti filii, merito exigit, ac requirit, ut ad avertendum venenatae fraudis periculum praesto simus, nihilque remittamus de assidua pascendi Dominici gregis cura, atque procul ejiciamus, amandemusque perditum hominem, ne sub inducta pastoris larva oves Christi fallaciis suis decipiat, easque a Christi ovili separans mactet, et in perditionis barathrum demergat.

Excommunicatio pseudo episcopi, et omnium fautorum ipsius §. 5. Hinc praedecessorum Nostrorum sacrarumque legum morem, atque exempla sequentes, erectionem episcopalis sedis in civitate sancti Salvatoris dioecesis Guatimalensis in Americae Occidentalis partibus contra canonicas sanctiones attentatam sanctae Sedis auctoritati injuriosam, ejusque juribus laesivam, et repugnantem, tradita Nobis e coelo potestate illegittimam, irritam, et nullius roboris esse declaramus, eamque rescindimus, abrogamus, atque omnino vanam renuntiamus; electionem vero, seu nominationem parochi Mathiae Delgado in hujusmodi sedis episcopum piana damnamus, atque delemus, ac omnia jurisdictionis acta, si quae forte attentaverit, vel in posterum attentare praesompserit, prorsus irrita, nulliusque roboris ac momenti esse definimus, ac pronunciamus. Deinde de auctoritate omnipotentis Dei declaramus parochum Mathiam Delgado, qui nominationem de ipso factam in episcopum praedictae sedis sacrilego ausu acceptare, atque sese intrudere in administrationem, ac jurisdictionem ejus partis dioecesis Guatimalensis, invito omnino ac reluctante proprio episcopo, contra sacrorum canonum sanctiones, atque hujus sanctae Sedis jura praesumpsit, nec non eos omnes, qui hujusmodi nefaria attentata

mandarunt, seu favorem, consilium, adhaesionem illis praestiterunt, sive executione, vel per seipsos, vel per aliòs procurarunt, majorem excommunicationem, aliasque censuras, ac poenas ecclesiasticas a sacris canonibus, apostolicis constitutionibus, ac generalium conciliorum, Tridentini praesertim (sess. 22 cap. 11 de refor.) decretis inflictas incurrisse, ac, si opus est, denuo ipsum parochum Mathiam Delgado, atque eos omnes, qui in hujusmodi execrabili facinore operam, consensum, et auctoritatem praestiterunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatum, sive segregatos, ac prorsus schismaticum, seu schismaticos habendos, ac vitandos esse constituimus, adicimus, et pronuntiamus, nec non omnium, et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi ab hac sancta Sede quomodolibet concessorum, amissionis poenas pariter incurrisse, nec a censuris hujusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu successoribus Nostris (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi, ac liberari posse, ac insuper inhabiles, et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, atque debitam, et condignam Sanctae Ecclesiae, et huic apostolicae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint.

Promittitur venia quoties resipiscant, debitamque sanctae Sedi satisfactionem praestent.

§. 6. Cum vero ecclesiasticae severitatis gladium evaginare cogimur, recordamur etiam, Nos, licet meritis omnino imparibus, ejus vices in terris gerere, qui calamum quassatum praecinente propheta, non conteret, et qui professus est, se misericordiam velle, et non sacrificium, quia non venit vocare justos, sed peccatores; idcirco longanimitatem ejus imitantes, novum Nostrae patientiae testimonium ipsi parocho Mathiae Delgado, caeterisque, de quibus agitur, praebere decrevimus, ut effectum hujusmodi Nostrae sententiae ad alios triginta dies omnino suspendamus, computandos a die, quo ea eisdem fuerit injuncta, vel ejus notitiam ipsi habuerint: quapropter nemini liceat intra praefinitum tempus molestiam ullam eis, quos haec respiciunt, super praemissis afferre; mandantes tamen, ut elapso eo temporis spatio, nisi resipuerint, omnimodamque satisfactionem dederint, plenarium effectum in ipsos, et in eorum quemlibet habitura sit. Ex his profecto quisque intelliget, Nos eo animo comparatos esse, ut in severitate poenarum, quibus in contumaces, deviosque filios utimur, non alio spectemus, quam eorum resipiscentiam, atque emendationem consequi, ut scilicet gaudere possimus, inde eos contristatos fuisse ad poenitentiam: quapropter in humilitate cordis Nostri levantes in coelum manus Nostras, Deum indesinenter adprecamur, ut det illis intellectum, et instruat in via, qua gradiuntur.

Catholici monentur ne pseudo episcopum agnoscant.

§. 7. Ceterum, dilecti filii, paterni cordis Nostri curas, cogitationesque ad vos conversas incessanter habemus, desiderantes, ut vobis aliquid gratiae spiritualis impertiamur ad confirmandos vos; ac primum sollicite vos monemus atque adhortamur, ut in ea vocatione maneatis, in qua vocati estis, repudiata illorum fraude, qui incautos pellicere ad se adnituntur; vobis enim graviter injungimus, ac vetamus, ne praefatum parochum Mathiam Delgado pro vero pastore habeatis, et agnoscatis, neve cum eodem nullo pacto, praesertim in divinis communicetis, aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperam, et inaniter deputatis, sacramenta accipiatis. Nullum certe nuncium dolori Nostro jucundius solatium afferre poterat, quam ut sciremus, satis vos adversus illius temeritatem, ac subdolas artes habere praesidii in vestra invicta pietate, ac religione, caute ambulare, vocem alienorum non audire, verum ac proprium pastorem sequi: deinde vos etiam, atque etiam in Domino Nostro Jesu Chisto adhortamus, ut quotidie magis operam detis, ex qua seductores intelligant, vos ad Christi Domini ovile, et ad ejus in terris vicarium pertinere, ac domum aedificare supra firmam petram « Deus enim, inquit sanctus Irenaeus, judicabit eos, qui schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiae, et propter modicas et qualibet causas magnum, et gloriosum Corpus Christi conscindunt, et dividunt, et quantum in ipsis est interficiunt ». Vos igitur induti catholicae lorica veritatis, et galea salutis, adversus eos scutum fidei, ac religionis opponite, ut vestra fortitudo, et invicta constantia inculentior appareat. Quae ut felicius eveniant, apostolicam benedictionem cum uberrima coelestium cha-

rismatum copia conjunctam, vobis dilecti filii, peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septimo julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 7. julii 1829. Anno I.

XXX.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesias ordinis Praedicatorum provinciae Lusitanae in regno Portugalliae.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis, illiusque tenor.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus et votis moderni prioris provincialis fratrum ordinis Praedicatorum provinciae Lusitanae in regno Portogalliae Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti ordinis, dictaeque provinciae die vigesima quarta mensis januarii in qua celebratur festum s. Dominici fundatoris dicti ordinis a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 7. julii 1829. Anno I.

XXXI.

Interdictio mutationis sacrorum supellectilium ecclesiae Nativitatis beatae Mariae virginis del Ponte civitatis Lancianensis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis exponi curavit dilectus filius Franciscus Paulus administrator rerum ad principem ecclesiam civitatis Lancianensis cui titulus Nativitatis gloriosae virginis Mariae vulgo s. Casa del Ponte pertinentium continua sacrarum supellectilium, aliarumque ejusdem ecclesiae rerum mobilium mutuatione non parum detrimenti praedicto pio loco afferatur, ne ultro abusus inolescat suppliciter petitum est a Nobis, ut eos, qui sacras supellectiles, ac quascumque praedictae ecclesiae res mobiles commodare quocumque titulo audebunt, poena excommunicationis latae sententiae mulctemus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, audito prius super praemissis ordinario Lancianensi, ex cujus relatione Nobis innotuit res ita se habere prout expositum, praedictum oratorem, ac omnes quibus praesentes literae favent speciali favore prosequi, ac ejusdem ecclesiae utilitati prospicere volentes, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolica, vi praesentium literarum mandamus, atque decernimus, ut de caetero nemo quavis auctoritate, dignitate, et officio, ac superioritate fungens audeat sacras supellectiles, ac res quascumque mobiles praedictae ecclesiae quocumque nomine appellatas aliis ecclesiis, vel personis quovis quaesito colore, ingenio, causa, ratione, et occasione commodare, vel ab ipsa ecclesia extrahere, asportare, seu ut commodentur, et extrahantur permittere, et consentire sub excommunicationis latae sententiae poena per delinquentes eo ipso absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo absolutionis beneficium a quoquam praeterquam a Nobis, seu Romano pontifice pro tempore, nisi in mortis articulo valeat obtinere. Permittimus tamen archiepiscopo pro tempore, ut in sacris functionibus extra dictam ecclesiam ab ipso peragendis quacumque sacra supellectili, aliaque re mobili ex praedictis uti libere valeat, sub lege tamen, ut absoluta sacra functione, omnia ad ecclesiam praedictam reportari quam citius fieri potest, omnino ipse curet, sub eadem excommunicationis poena.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut hujus prohibitionis exemplum in sacrario dictae ecclesiae affixum assidue maneat, ut ab omnibus cerni, et legi possit. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die septima julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XXXII.

Dat. die 7. julii 1829. Anno I.

Confirmatio privilegii jam concessi familiae Amati civitatis Reatinae aperiendi odeum in ecclesia s. Juvenalis favore emptoris palatii ubi odeum existit.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut Nobis exponi curarunt dilecti filii germani fratres Blasetti Reatinae civitatis, vel dioecesis palatium familiae Amati in praedicta civitate situm ubi odeum existit, quod ecclesiam s. Juvenalis introspicit, a quo familia Amati sacrum diebus festis audiebat anno millesimo octingentesimo decimo sexto familiae oratorum cum omnibus juribus venditum fuit, quaestio illico instituta est inter parochum ecclesiae praedictae contradicentem, et oratores pro jure habendi odeum praedictum apertum pugnantes. Actum est coram Reatino episcopo de ineunda concordia, sed frustra, unde remissa negotii cognitione ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, exhibitisque hinc inde foliis die decima quarta junii elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi tertii in ordinariis comitiis propositum fuit dubium « An Aloisio Blasetti uti emptori palatii olim Amati competat jus retinendi apertam fenestram in ecclesia s. Juvenalis in casu etc. » Eadem congregatio respondit « affirmative » Ut autem hujusmodi decretum majori qua fieri potest authentica forma publicetur praedicti oratores illud apostolicis literis approbari, et confirmari summopere desiderant.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsos oratores speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum, sive responsum congregationis praedictae auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, illique apostolicae approbationis Nostrae robur adjicimus, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac his ad quos spectat, ac spectabit pro tempore in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XXXIII.

Dat. die 14. julii 1829. Anno I.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesias dioecesis Gandavensis in quibus exercentur missiones spirituales.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Carolus modernus episcopus Gandavensis quemadmodum ut ii, qui operi admodum pio et salutari missionum et exercitiorum spiritualium, quod a congregationis Missionis presbyteris saecularibus non solum in paroeciis suae dioecesis, verum etiam in aedibus seu oratoriis publicis, aut privatis tam religiosorum, et monialium, quam etiam puerorum, ac puellarum collegiis, seu quibuscumque aliis piis locis dictae suae civitatis, vel dioecesis exercetur, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequerentur, opportune expediret.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur similibus venerabilis fratris episcopi Gandavensis supplicationibus No-

bis super hoc humiliter porrectis inclinati, aliunde probe scientes quantopere missiones et exercitia spiritualia hujusmodi conducant dirigendis in viam Domini, et confirmandis in illa christifidelium mentibus, eorum devotionem, qui operi adeo pio et salutari interfuerint, coelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis excitare volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beati Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus qui missionibus et spiritualibus exercitiis hujusmodi in altero ex praefatis locis hujusmodi interfuerint, ac interea vere poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat tempore uniuscujusque missionis, ac exercitiorum spiritualium hujusmodi per quemcumque christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 14. julii 1829. Anno I.

XXXIV.

Concessio facultatis sumendi sacram synaxim, et satisfacendi praecepto paschali in sacra aedicula nosocomii urbis Pacensis pro aegrotis aliisque addictis eidem nosocomio.

Venerabili fratri Episcopo Pacensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis est nomine dilecti filii Josephi Raymundi De Losyza istius dioecesis nosocomium in urbe Pacensi aere suo fuisse aedificatum, in eoque aediculam sacram in medio alarum ubi aegroti decumbunt adstruendam curasse, ut sacrum fiat. Quum autem parochialis ecclesia hinc multum absit, suppliciter a Nobis petitum fuit, ut aegroti, aliique omnes eidem nosocomio addicti sacra synaxi ibidem refecti ecclesiastico praecepto eucharistiam in paschate excipiendi satisfaciant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur oratorem peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutum fore censentes, tibi venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut dummodo aedicula, de qua est sermo apostolico indulto pro sacrificii celebratione sit munita auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio facultatem facias, cujus vi, quoad idem perextiterit indultum, quum ea ipsa in aedicula, tum aegroti; tum singuli quique nosocomio quicumque addicti conscientiae sordibus per sacram confessionem ablutis sanctissimum eucharistiae sacramentum paschali tempore sumpserint, sartis tectisque parochi juribus Ecclesiae praecepto eucharistiam in paschate excipiendi paruisse censeantur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Haec concedimus, atque indulgemus, non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 14. julii 1829. Anno I.

XXXV.

Concessio facultatis satisfaciendi praecepto ecclesiastico in aedicola extructa in praedio nuncupato Macamaca pro colonis, aliisque addictis culturae ipsius tenimenti.

Venerabili fratri Episcopo Pacensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius Joseph Raymundus de Losyza istius dioecesis, aere suo nosocomium aedificasse, eique attribuisse praedium, quod vocant Macamaca, in agro Carscate intra limites Sicasica ejusdem dioecesis. Quum autem illi excolendo praedio plurimi sint addicti, plurimique ibidem sint incolae, parochialis vero ecclesia valde procul, supplici cum prece a Nobis petiit, ut in sacra aedicola, eodem in praedio posita, sacrum fieri possit, cui scilicet quicumque diebus festis intererit, praecepto, quod est de assistendo divinis, satisfaciat.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, eumque peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutum fore censantes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, si ita se res habent, prout expositae, dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum, eaeus omnino claudantur, atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde neque accessus, neque prospectus habeatur, eamdem ipsam, etsi ejus porta viam publicam haud spectet, decreto fel. rec. Pauli V. praedecessoris Nostri de non celebrando in oratoriis privatis edito pro tui arbitrio minime obnoxiam declares, atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut quotiescumque capax, ac decenter ornata, nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut quicumque diebus festis pietate illa, qua decet inibi sacrificio assistet, Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.

§. 3. Id concedimus, atque indulgemus, non obstantibus iis, quae dicta sunt, atque constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

Dat. die 15. julii 1829. Anno I.

XXXVI.

Concessio juris nominandi ad episcopatus, beneficia, dignitates, et canonicatus intra statum Mutinensem, et Estensem existentes favore ducis pro tempore regnantis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Posteaquam fel rec. Leo pp. XII. praedecessor Noster ad gratificandum dilectissimo in Christo filio Nostro Francisco Mutinensium duci, cui in animo erat ecclesiasticorum beneficiorum statum reddere meliorem per apostolicas sub plumbo literas datas idibus junii proxime praeteriti anni millesimi octingentesimi vigesimi octavi indultum impertivit, ut idem dux Franciscus, ejusque catholici successores ad dignitates, canonicatus, et alia quaecumque beneficia residentialia tam in cathedralibus, quam in collegiatis ecclesiis intra statum Mutinensem, et Estensem existentibus huic apostolicae Sedi quovis modo reservata, exceptis dumtaxat dignitatibus primis post pontificalem in cathedralibus, et principali in collegiatis ecclesiis personas idoneas Nobis, et Romanis pontificibus successoribus Nostris nominare, ac praesentare libere ac licite possint, et valeant, laudatus Franciscus dux per dilectum filium Hieronymum comitem Riccini suum apud Nos et Sedem apostolicam extraordinariorum negotiorum gestorem exponi fecit omnem curam etiam in posterum adhibere Expositio precum.

esse adhibiturum ad augendum tum ecclesiarum splendorem, ac decus, tum ecclesiasticorum ministrorum statum, ac conditionem, simulque a capitulis vacantes ecclesiae Mutinensis, et cathedralis Regiensis ecclesiae libenter assentiri, ut praefatum indultum extendatur ad omnia, et singula residentialia beneficia in quibuslibet vacationum casibus in mensibus quoque ordinariis occurrentibus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos itaque praelaudato Francisco duci ob eximias ipsius animi dotes, et peculiare erga hanc sanctam Sedem obsequium specialibus favoribus, et gratiis, quantum in Domino possumus, prosequi cupientes, praedictum indultum nominationis coram Romano pontifice, ut supra faciendae ad memorata beneficia residentialia collationis quoque vel episcoporum, vel capitulorum per praesentes extendimus ac elargimur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Hasce autem literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati, et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, et in controversiam vocari posse, sed semper validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 5. Volumus autem, ut harum Nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis. §. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, facultatis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo nono, Idibus julii pontificatus Nostri anno primo.

XXXVII.

Dat. die 15. julii 1829. Anno 1.

Confirmatio privilegiorum, et indulgentiarum jam concessorum confraternitati s. Mariae de Cintura ordinis sancti Augustini civitatis Cephaludensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Pias christifidelium confraternitates ad pietatis et charitatis opera exercenda provide institutas specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout in Domino salubriter expedire cognovimus. Prooemium.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii officiales et confratres confraternitatis seu congregationis sub titulo s. Mariae de Cintura nuncupatae in ecclesia olim fratrum Eremitarum ordinis s. Augustini civitatis Cephaludensis canonice ut asseritur erectae Nobis nuper exponi fecerunt ipsi, quoniam in dicta ecclesia fratres ordinis Eremitarum olim existebant ac a fratribus ordinis hujusmodi dicta confraternitas seu congregatio utpote instituta, omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus, aliisque spiritualibus gratiis quibus reliquae confraternitates in ecclesiis et a fratribus dicti ordinis vigore facultatum ab apostolica Sede eisdem concessarum institutae fruuntur, et gaudent, alias locupletati fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memorati confratres: ex eo quod fratres praefati ordinis nunc in dicta ecclesia desiderentur, supradictas omnes et singulas indulgentias sibi alias ut praemittitur impertitas desiisse dubitant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Expositio precum.

§. 3. Nos igitur specialem exponentibus praefatis gratiam facere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poe- Tenor concessionis.

oitentiarum relaxationes aliasque spirituales gratias, quibus ante hac potiti sunt auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, at quatenus opus sit, de novo etiam perpetuo eisdem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 17. julii 1829. Anno I.

XXXVIII.

Indultum sumendi sacram synaxim in sacrificio celebrando in nocte Nativitatis D. N. Jesu Christi, et in Sabbatho Sancto pro monialibus ordinis minorum sancti Francisci dioecesis Hispalensis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Hispalensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis est a dilecta in Christo filia Josepha Jesu et Mariae moderatrice monasterii sancti Josephi ordinis Minorum sancti Francisci sub regula s. Clarae in Xerez de la Frontera istius Hispalensis dioecesis, nomine etiam aliarum virginum in iisdem claustris degentium, se, quum matutinis horis in pervigilio nativitatis Domini, ac solemni sacrificio, quod hisce peractis, paullo post mediam noctem cum cantu celebratur, intersint, enixe cupere eodem in sacrificio sacra refici synaxi, non solum ad fovendam pietatem, qua erga illud mysterium inflammantur, verum etiam, ut aliquo cibo, et quiete recreatae, spirituales exercitationes alacrius iterum aggrediantur. Additum praeterea fuit, sibi in votis esse solemni quoque sacro Sabbati Sancti Eucharistiae sacramentum excipere, quo ipsae majore pietatis sensu Redemptoris gaudium, gloriamque recolant. Supplici ergo cum prece a Nobis petitum fuit, hujusmodi ut veniam ex Nostra indulgentia sibi concedere velimus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur oratricem, nec non alias, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutas fore censentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus ope virgines omnes in commemorato monasterio degentes conscientiae sordes per sacram confessionem ablutae, tum sacratissima nocte, qua anniversaria natalis Christi gratulatio agitur, tum Sabbato Sancto in earum ecclesia eucharisticam dapem infra sacrificii actionem a manu sacerdotis illud solemniter de more celebraturi sumere libere, ac licite possint.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus, atque indulgemus, non obstantibus apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 24. julii 1829. Anno I.

XXXIX.

Dotatio tribunalis sacrae Rotae pro causis tam civilibus, quam criminalibus regularium, aliorumque sanctae Sedi immediate subjectorum in regno Hispaniarum.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Catholicorum principum votis eo libentius apostolica Nostra arridet auctoritas, quo eorum sollicitudines in diligenda justitia, populorum felicitate curanda, sacris Ecclesiae legibus vindicandis, aliisque utilibus promovendis, majores semper videntur.

Memorantur providentiae ad rem raptae a Clemente XIV. §. 2. Eo itaque consilio fel. rec. Clemens pp. XIV. praedecessor Noster, supplicante cl. me. Carolo III. Hispaniarum rege catholi-

co tune regnante, tribunal quoddam nomine Rotae nuntiaturae apostolicae nuncupatum, pro causis tam civilibus, quam criminalibus regularium, aliorumque exemptorum, et Sedi apostolicae immediate subjectorum, in prima alterave instantia, et in gradu appellationis dijudicandis, certis modo, et forma in suis apostolicis in simili forma brevis die vigesima sexta martii anni millesimi septingentesimi septuagesimi primi datis literis expressis, Matriti erexit, et in locum auditoris pro tempore nuntiaturae praedictae, qui hujusmodi causas prius cognoscebat, definiebatque, illud suffecit, designato auditorum, aliorumque officialium numero, eorumque facultatibus, modo, et forma judicii praescriptis, aliisque statutis, quae in memoratis praedecessoris Nostri literis continentur, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus. Praelaudatus autem rex pro eximia sua pietate, ac singulari, qno pollebat, administrandae justitiae zelo, indemnitati jurium, et emolumentorum nuntii apostolici pro tempore, nec non conservationi tribunalis praedicti, ejusque ministrorum decenti stipendio consulere cupiens a memorato praedecessore expostulavit, ut summa quingentorum millium regalium de Vellon monetae Hispanae ab ecclesiasticis eorumdem regnorum quotannis persolverentur, ita tamen ut in posterum nulla prorsus ab eis emolumenta pro causis, et negotiis in dicto tribunali pertractandis, definiendisque, persolvenda essent, datis pariter super hujusmodi re aliis in simili forma brevis die vigesima quarta augusti millesimo septingentesimo septuagesimo quarto apostolicis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus. Ast, cum catholici regis memorati, ejusque successorum pietati et justitiae summa esset monificentia conjuncta, oneri praedicto, clero juxta praemissa imponendo, alio modo, ab exordio novi praedicti tribunalis ad haec usque tempora satisfactum est.

Expositio precum §. 3. Carissimus vero in Christo filius Noster Ferdinandus hodiernus Hispaniarum rex avitae pietatis, et religionis aemulator, ab hujusmodi munificentia haud certe desisteret, si notissimae illorum regnorum vicissitudines ultro sinerent, eam extendi posse. In hac itaque rerum, temporumque necessitate dum memoratus rex pubblicam pro viribus curat oeconomiam, nuntii tamen apostolici, tribunalis praedicti, ejusque auditorum, aliorumque officialium, et ministrorum, nec non duorum auditorum Rotae Romanae ex natione Hispana indemnitati, decentique alimento consulere summopere desiderat. Oblatae proinde Nobis scripto preces ejusdem regis nomine praeferebant, assignationem quingentorum millium regalium de Vellon ab iis, qui ad subsidium ecclesiasticum in regnis Hispaniarum teneatur, quotannis persolvendorum pro expressa causa, jam per memoratas praedecessoris Nostri literas approbatam, exequi perficique quam citius posse, sibi in votis esse, ut deinceps nuntius apostolicus, auditores, officiales, et ministri tribunalis praedicti, nec non duo auditores Rotae Romanae suis fruantur, juribus, et emolumentis.

Tenor concessionis. §. 4. Nos igitur praedecessoris Nostri vestigiis inhaerentes, ac ipsius Ferdinandi regis pietatem, et zelum plurimum commendantes, ejusque votis benigne annuentes, memoratam summam quingentorum millium regalium de Vellon quolibet anno ab iis, qui ad ecclesiasticum subsidium in dictis regnis tenentur, persolvi, et per commissarium generalem pro tempore cruciatae, subsidii, et excusati nuncupatum, seu per alios ab eo deputandos ab initio cujuscumque anni computandam, et persolvendam, habita proportione ejus quantitatis, quae ab unoquoque ex ecclesiasticis dictorum regnorum titulo ejusdem subsidii solvi consuevit, exigi, et in causas praedictas, modo et forma infra praescribendis, erogari, auctoritate apostolica tenore praesentium praecipimus, atque mandamus. Ut autem cujuscumque jura, et emolumenta perpetuis futuris temporibus persolvenda dignoscantur, distinctam erogationem quingentorum millium regalium de Vellon hisce Nostris literis enucleamus, videlicet: sint igitur quotannis nuntio Nostro apostolico pro tempore, titulo compensationis pro juribus expeditionum justitiae nuncupatis, quorum in possessione ipse erat ante Rotae praedictae erectionem, centum vigintimillia regalia de Vellon; assessori vero fiscali, et sex auditoribus de numero ejusdem tribunalis, nec non duobus auditoribus Hispanis Rotae Romanae trigintatria millia pro unoquoque solvantur regalia,

quae insimul computata tercenta triginta millia adaequant regalia. Sint quoque abbreviatori viginti millia regalia pro emolumento, et tandem pro impensis tribunalis, cappellani, trium janitorum, vulgo portieri, scoparii, aliorumque, trigintamillia assignantur regalia eidem nuntio quotannis persolvenda. Praeterea commissario generali pro tempore cruciatae, cui vi praesentium facultas exigendi quingenta millia regalia de Vellon praedicta, et in thesaurariam ipsius cruciatae ea immittendi tributa est, injungimus atque praecipimus, ut mense quolibet quod cuique assignatum est, una cum impensis dicti tribunalis accurate persolvatur, et in officio ratiocinatoris cruciatae de hujusmodi summae solutione, erogatione, et distributione, separata habeatur scriptura; nuntio vero apostolico pro tempore committimus, atque mandamus, ut omnia et singula in praesentibus Nostris literis contenta, modo et forma praemissis, debitae executioni demandentur, et in posterum accurate serventur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apotolici auditores, ac etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales de latere legatos, et Sedis apostolicae nuntios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscaris die vigesima octava julii millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XL.

Dat. die 7. aug. 1829. Anno I.

Communicatio indultorum, et indulgentiarum concessarum discipulis civitatis Carpensis in collegio Romano degentibus, pro aliis secundo dictis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum discipulorum civitatis Carpensis provinciae Bononiensis quod cum eorumdem discipulorum numerus adeo magnus evasisset, ut ipsi in privato oratorio in dicta civitate sito, quo ad laudes Deo concinendas, et alia quamplurima religionis et pietatis opera exercenda olim aggregari consueverint, ac ubi omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus, aliisque spiritualibus gratiis, quibus congregationi collegii Romani primae primariae nuncupatae de urbe addicti locupletati existunt, ditati reperiebantur, consistere ulterius minime valerent, de dicto ad alium oratorium etiam privatum sub titulo Annuntiationis beatae Mariae Virginis Immaculatae dictae civitatis translati fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ne ob dictam translationem discipuli praefati, aliique omnes in prima concessione comprehensi spiritualium gratiarum donis hujusmodi priventur, supradictas omnes et singulas indulgentias in secundo dicto oratorio lucrari, et per Nos ad illud transferri plurimum desiderent.

Tenor concessionis. §. 2. Nos propterea eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, indulgentias omnes et singulas, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, et spirituales gratias quibus in primodicto oratorio fruebantur, ad secundodictum oratorium, ita ut si ea omnia ad illas lucrandas praescripta adimpleverint, eas tam ipsi quam alii supradicti in primodicta concessione consequi valeant, eisdem modo et forma ac si dicti discipuli nunquam translati fuissent servata in reliquis primaevae ejusdem concessionis forma et dispositione auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo transferimus, et translatas declaramus.

Derogatio contrariorum. §. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 7. aug. 1829. Anno I.

XLI.

Reductio festorum pro catholicis ad utramque Rheni ripam intra limites regni Borussiae convenientibus.

Venerabili fratri Ferdinando Augusto archiepiscopo Coloniensi.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis. §. 1. Serenissimi Borossiae regis vota vix dum fel. rec. Leoni XII. praedecessori Nostro patefacta ex precibus tuis, quae praeseferebant, omnino oportere, ut singulae quaeque Catholicae Ecclesiae ad utramque Rheni ripam intra limites Borussiae regni in dierum festorum ordine convenirent, eorumque vigeret ratio, quae in provinciis Orientalibus ejusdem regni servatur, omnem dedit operam, ut illis obsequeretur. Narrabas enim alicubi dies festos esse numero paucos, alicubi frequentissimos, ac ne in urbibus tuae Coloniensis dioeceseos, in quibus acatholici plerumque divites, ac opificiorum domini, catholicorum conditio, auctis diebus festis durior evaderet, censebas catholicis indulgendum esse, ut iisdem diebus ab obligatione adstandi sacris nequaquam soluti, operibus servilibus vacarent. Quibus de rebus opportunas facultates ipse pontifex suis apostolicis literis annulo piscatoris obsignatis, ac datis die secunda decembris anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo, tibi impertivit, tibique commisit, ut aliis etiam sacrorum antistitibus caeterisque ad quos pertinet, hujusmodi pontificiam voluntatem significares.

Tenor concessionis. §. 2. Ad arcendum vero omne dubium, quod in illis exequendis literis possit oriri, per hasce Nostras decernimus, ac declaramus, ut in qualibet ex dioecesibus, quas commemoravimus, idem ipse festorum ordo habeatur, qui in provinciis Orientalibus Borussiae regni ex Clementis XIV. et Pii VI. praedecessorum Nostrorum apostolicis literis viget. Praeterea ut catholici quique in urbibus, vel pagis tuae Coloniensis dioecesis ad utramque Rheni ripam, quibus acatholicis mixti diurna mercede vitam sustentant, festis diebus, exceptis dominicis, festivitatibusque Nativitatis, et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, et Omnium Sanctorum, nec non Assumptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, (quod tamen festum in proximam dominicam, prout asseritur, translatum est) sacro audito, operibus servilibus possint vacare, atque ita in tua dioecesi, ac in aliis metropolitico jure eidem subjectis hanc disciplinam uniformem futuram declaramus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec volumus, atque mandamus non obstantibus omnibus iis, quae in commemoratis literis Leonis XII. praedecessoris Nostri possent obstare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 11. aug. 1829. Anno I.

XLII.

Abrogatio muneris definitorum generalium in congregatione Montis Virginis in Hirpinis erecta a sancto Guillelmo Vercellensi, et deputatio superiorum ejusdem congregationis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Incensum studium, ac paterna charitas, qua regularium ordinum alumnos Deo militantes complectimur, minime patitur, Nos parum esse sollicitos de utilitate praeclari ordinis dilectorum filiorum monachorum congregationis Montis Virginis in Hirpinis a sancto Guillelmo Vercellense instituti, atque a beato Roberto ejus discipulo legibus sancti Benedicti subjecti, quem et christianae reipublicae non levi commodo, et Ecclesiae ornamento esse cognovimus.

Tenor concessionis. §. 2. Nuper autem accidit, ut venerabilis frater Noster Bartholomeus Portuensis, sanctae Rufinae, et Centumcellarum episcopus S. R. E. cardinalis Pacca nuncupatus dictae congregationis patronus ad Nos accesserit; Nobisque narraverit, finem mox mox habiturum postremum triennium, quo ejusdem alumni ex ordinis legibus ab eorum muneribus essent discessuri, novique adlegendi. Simul vero Nobis aperuit, anno millesimo octingentesimo decimo octavo camdem ipsam congregationem in monasterio Montis Virginis, quod Alexander III. praedecessor Noster in patrocinium sanctae Sedis contulerat, fuisse restitutam, ibique paulo post generalia habita comitia, in quibus dilectus filius Raymundus Morales in munere supremi moderatoris, seu abbatis generalis atque ordinarii dioecesani fuit confirmatus; quod quidem munus jam antea exercuerat, quum eidem congregationi spiritualis jurisdictio dioecesana fuerat restituta, atque ex iisdem comitiis duo definitores generales visitatores, totidemque definitores capitulares, abbas decanus Montis Virginis vicarius generalis, aliique congregationis moderatores adlecti. Munera ejusmodi triennio tantum erunt obeunda: at rerum vicissitudines praedecessores Nostros adduxerunt illa de triennio in triennium prorogare. Interea temporis cum plures religiosi viri diem obierint extremum, munera definitorum generalium visitatorum et abbatis monasterii Montis Virginis vacarunt; plures item defuerunt suffragatores, quorum erat generalibus comitiis interesse, ita ut eorum numerus septem tantummodo ad praesens constat. Rebus sic stantibus, cum difficillimum videatur generalia cogere comitia, ipse venerabilis frater Noster Bartholomaeus in ejusdem sacrae familiae bonum summopere intentus Nobis aperuit, opportunum fore abbatem generalem congregationis Montis Virginis perpetuo adlegere praefatum Raymundum Morales tam bene de ordine suo meritum in ejus tuenda jurisdictione, et servanda apostolicae Sedi obedientia, tum in eo restituendo, recteque ac fideliter diu moderando, eo vel magis quod nullum aliud praemium nunc ei rependendum superest, extincto jam Casamarciani monasterio, cujus regimen emerito abbati generali mos erat demandare. Deinde cum ex ordinis constitutionibus in monasterio Montis Virginis unus esse debeat titulo, ac dignitate abbatis senioris honestatus, qui abbatis generalis vices valeat implere, aliisque uti facultatibus, quas eaedem constitutiones illi tribuunt, praesertim exercendi spiritualem jurisdictionem quomodocumque abbatis generalis munus vacaverit, ad triennium dumtaxat censet renunciandum dilectum filium Prosperum Morales antedicti Raymundi germanum fratrem, qui diuturnos pertulit labores, quique definitor esset nominandus, nisi ordinis constitutiones ob agnationem ei adversarentur. Praeterea ipse venerabilis frater Noster significavit, in ordinis commodum redundare abrogationem munerum definitorum capitularium, quoniam universa congregatio in unum monasterium coadunata illis nequaquam indiget, duos statuendo definitores generales visitatores cum omnibus facultatibus ex ordinis legibus cuilibet eorum concessis, eosque ad triennium nominando dilectos filios Aloisium Mariam Valentini, ac Raphaelem De Cesare, qui adhuc definitores capitulares, et eorum primus vicarius etiam existit generalis. Quae quidem quum Nobis innotuerint, ac rationum momenta seduio perpenderimus, ejusdem venerabilis fratris Nostri Bartholomaei votis alacri, libentique animo censuimus annuendum.

§. 3. Omnes igitur, ac singulos, quibus hae literae favent, peculiari benignitate prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae Expositio precum.

potestatis plenitudine definitorum generalium munera in congregatione Montis Virginis abrogamus. Et quoniam per ea, quae narrata sunt, facile est intelligere generalia ab illius alumnis comitia hoc tempore haberi non posse, eadem apostolica auctoritate generalem moderatorem, seu abbatem ordinarium congregationis Montis Virginis memoratum Raymundum Morales perpetuo edicimus, et constituimus. Pro hac vica vero, et ad triennium dumtaxat abbatem seniorem praedicti monasterii dilectum filium Prosperum Morales, ac definitores visitatores generales dilectos filios Aloisium Mariam Valentini, ac Raphaelem De Cesare respective deputandos, facultatem ipsi Aloisio Mariae tribuendo, ut, si opus fuerit, vicarii generalis dioecesani officium, quamdiu alius non fuerit ei rite suffectus valeat exercere. Postremo tum abbati generali, tum definitoribus singulas quasque tribuimus facultates, quibus insimul conveniant, caeteris sacrae familiae muneribus consulant, suffragatores eligant, pro comitiis postbac habendis, ac sedulo curent, ut quantum licet, ordinis legibus inhaereatur, sartis tamen tectisque juribus, et auctoritate cardinalis patroni. In virtute propterea sanctae obedientiae, ac sub poenis arbitrio Nostro infligendis, mandamus omnibus, et singulis religiosis viris praedictae congregationis Montis Virginis, ut cujuslibet jura, facultates, onera, et praerogativas debite revereantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et juxta praescriptum modum plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non supramemoratae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut in iis, quibus per hasce literas non derogavimus, itemque in adlegendo post dicti Raymundi obitum novo abbate generali congregationis, regulae, et constitutiones omnino serventur, ac pristinum robur, et firmitatem obtineant. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XLIII. Dat. die 11. aug. 1829. Anno 1.

Erectio novae dioecesis in insula principis Eduardi, in Nova Brunopoli in urbe Caroliuopolitana.

Pius pp. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus Nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem respicit statum; siquidem supremae potestatis, judiciique Nostri est illas moderari, earumque limites constituere, vel immutare, prout, habita temporum, ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati convenire dignoscimus.

Expositio precum.

§. 2. Quum siquidem Nobis expositum sit, ad religionis bonum in insula principis Eduardi, in Nova Brunopoli, et insulis Magdalenae utilius, atque expeditiori ratione procurandum, opportunum esse eas regiones a dioecesi Quebecensi separare, atque in peculiarem episcopatum erigere, Nos rem tanti momenti congregationi venerabilium fratrum Nostrorum negociis Propagandae Fidei praepositorum examinandam commisimus; rebus proinde omnibus maturo perpensis, et praecipue ratione habita literarum, quibus venerabilis frater Bernardus Claudius Panet archiepiscopus Quebecensis libere, ac luculenter manifestavit consensum suum de memoratarum regionum a sede sua separatione, de eorumdem fratrum consilio, ejusdem episcopatus erectionem perutilem cognovimus.

Tenor concessionis.

§. 3. Motu igitur proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, insulam principis Eduardi, Novam Brunopolim, et insulas Magdalonae a dioecesi Quebecensi perpetuo separantes, eas regiones in peculiarem episcopatum, qui cetero-

quin huic sanctae Sedi debeat esse immediate subjectus, donec aliter ab ipsa sancta Sede statuatur, cujusque episcopalis sedes sit in insula principis Eduardi urbs Carolinopolitana, ex qua derivetur episcopatus ejusdem titulus, et qui denique comprehendat in dioecesi sua praeter insulam principis Eduardi, Novam Brunopolim, at insulas Magdalenae, vi praesentium literarum erigimus, atque statuimus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et omnia juxta praemissa accurate adimpleri; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae Quebecensis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 28. aug. 1829. Anno I.

XLIV.

Concessio indulgentiarum assequendarum a puellis societatis nuncupatae « La reunion » ss. Cordis Jesu civitatis Burdigalensis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Maxima cum animi Nostri voluptate accepimus ista in urbe Burdigalensi puellarum collegium reperiri a societate vulgo « La reunion » ss. Cordis Jesu nomen habens, cujus cultum meliori saue ratione fovere haud posse existimant, quam christianam juventutem sequioris sexus instituere, mores informare atque artibus et opificiis imbuere, quae aegenae et fere derelictae. Hujusmodi autem institutum, quod ad civile aeque, et christianae reipublicae commodum tantopere conducit, venerabilis frater Joannes Burdigalensis archiepiscopus, praedecessorem suum aemulatus patrocinio tuendum curavit, ut incommodis malisque mederetur a turbis, quae Gallicam nationem permiscuere, profectis. Quo vero earum pietatis ardor, quae in hanc societatem cooptantur, magis magisque vigeat in dies, preces ejusdem societatis nomine Nobis porrectas benigne excipiendas duximus, dum a Nobis petitum fuit, ut sacris aliquibus indulgentiis eamdem ipsam donare velimus.

Tenor concessionis. §. 2. Quapropter de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, singulis quibusque mulieribus, quae piae societati nomen dare constituunt vere poenitentibus et confessis ac sancta communione refectis, quo die in eamdem receptae societatem fuerint, itemque die quo instituta amplectuntur, nec non in singulos annos feria sexta immediate sequente festum ss. Corporis Christi, ac die vigesimaquinta mensis martii; ac demum in exitu octo dierum; quibus commentationi divinarum rerum, et ad aeternam salutem pertinentium quotannis incumbunt, dummodo pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et poenitentiarum relaxationes in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum. §. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 28. aug. 1829. Anno I.

XLV.

Restitutio coenobiorum puellarum urbis ad pristinum eorum statum.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur literae Leonis XII, qui- §. 1. Inter praeclara quae urbem decorant christianae charitatis monumenta praecipuum

bus in unum conjuncta fuerunt instituta puellarum urbis.

quemdam locum sibi vindicant receptacula puellarum (vulgo conservatorii), quibus majores Nostri paupercolis foeminis et indigentiae levamen, et honestatis perfugium, et morum institutionem patera voluerunt. Et quoniam variae sunt pauperiorum puellarum conditiones, varia quoque constituta sunt illis coenobia, quibus neque eadem recipiendarum alumnarum classis proposita, neque eodem vivendi regulae assignatae. Sed ea est rerum humanarum indoles ac natura, ut quae in exordiis magno animi fervore arripiuntur, et rectissima constituuntur, ea deinde defervescant, et a recto tramite non parum deflectere, aut aliquando etiam aberrare omnino videantur. Quod ut animadvertit fel. rec. decessor Noster Leo XII., cui propositum erat nihil intentatum relinquere, quo praeclara majorum instituta perficeret ac sapientissimis legibus communiret, puellarum coenobia fere omnia in unum coalescere voluit, ita tamen ut quaedam domo conjungeret, quaedam disjunctis in domibus relinqueret, omnium tamen bona et redditus una ratione administranda decrevit; quo sibi cognoscendum proposuit qua tandem ratione omnia optime constitui posse viderentur. Interim congregationem instituit virorum spectatissimorum, quibus et bonorum administrandorum, et institutionis procurandae provincia demandaretur; huic autem congregationi praefecit dilectum filium Nostrum cardinalem Ludovicum Micara ministrum generalem ordinis fratrum Cappuccinorum titulo Quatuor Martyribus sanctis Coronatis, qui assignatam sibi provinciam diligentissime gessit. Nos qui nihil tale cogitantes ad regendam et gubernandam difficillimo tempore Petri ovim vocati sumus, animadvertimus rem tanti momenti non adhuc ad finem omnino perductam esse, ac Nostri muneris partes requirere, ut Nos etiam tanto negotio animum adjiceremus, nihil propterea praetermittendum duximus, quo de re gravissima prudenter deliberare possemus. Itaque quoniam plures delegimus ex venerabilibus fratribus Nostris cardinalibus, quibus ea negotia deliberanda commisimus, quae fel. rec. decessor Noster Leo XII. optimis consiliis conformanda susceperat, sed inopinata morte praereptus, haudquaquam absolvere potuit, eosdem cardinales volumus de optima ratione muliebres istas familias constituendi sententiam suam declarare; interim vero assiduis precibus a patre luminum praesentem gratiae coelestis, opem implorantes.

Declarantur incomoda, quae ab hac unione pro-manant.

§. 2. His ita porrectis, re matura considerata, quoniam ex horum omnium coenobiorum conjunctione et singulorum comparatione quid in unoquoque emendari oporteat jam satis est exploratum, visum est Nobis, praecipue ut rectissimae piorum fundatorum voluntati satisfiat, et morum institutioni commode provvideatur, ita rem constituere, ut unaquaeque harum familiarum suas aedes, quoad fieri possit, obtineat, et singulis peculiares curatores assignentur, quibus et bonorum administrandorum, et domus constituendae cura demandetur.

Nova distributio domorum piarum.

§. 3. Itaque decernimus ut coenobium puellarum ad s. Michaelis apud ripam majorem in iis aedibus maneat in quibus nunc est, et cardinali Josepho Albani protodiacono auditori Nostro a negotiis publicis praesidi summo illius hospitii, quod apostolicum dicunt, pareat absque ulla mutatione; exceptis iis quae de omnibus hisce puellarum familiis universim decernenda censebimus. Huic autem puellarum coenobio attributi jam scutati nummi decem millia octingenti sexaginta unus absque ulla diminutione permaneant. Coenobium ad s. Paulli anachoretae « ad Quatuor Fontas » ob aerarii Nostri praefecto regatur, quem penes jus sit, tum alumnas in illud cooptandas designare, tum redditunm administrationem dirigere; ejusdem vero coenobii moderatur tum in disciplina morum gubernanda, tum in exercitiis pietatis, ac religionis instituendis et animarum rectoribus destinandis sit antistes in urbe vicesgerens. Coenobium periclitantium puellarum in cura sit ejus quem dicunt commissarium Camerae, et vicesgerentis eadem omnino ratione ut de altero dictum est. Coenobium a ss. Clemente et Crescentino nuncupatum (vulgo le Zoccolette) antistiti Nostrae domus ab eleemosynis diribendis pareat. Catechumenorum ac neophytarum coenobia, tum etiam collegium illud sacrarum virginum in quod cum caeteris neophytae quoque admittuntur, item quaecumque id genus pertinent loca, Ludovico cardinali Micara relinquantur, Coenobium Pium Petro-Francisco cardinali Galleffi episcopo Albano, et Camerario subsit. Coenobium mendicantium Bartholomaeo cardinali Pacca pro-datario Nostro

moderandum tradatur. Domus a Refugio dicta cardinali Nostro pro tempore in urbe vicario pareat. Coenobium a s. Euphemia nuncupatum, cui domus assignabitur, et adnexum sacrarum virginum ad s. Urbani collegium cardinali pro tempore camerario S. R. E. reddatur. Coenobium, cui nomen a Divina Providentia cum coenobio quod erat olim ad s. Pascalis, quae duo in unum coaluerunt, cardinali pro tempore vicario Nostro assignetur. Coenobium penes ecclesiam sanctae Catharinae virgini et martyri sacram ad Funarios Benedicto cardinali Naro archipresbytero basilicae Liberianae titulo s. Clementa iterum committatur; ita tamen ut, quemadmodum prudentissime a fel. rec. decessore Nostro Leone XII. constitutum est, puellae in eo exigua mercede alendae atque instituendae suscipiantur.

Dotatio singularum domorum piarum.

§. 4. Item decernimus, ut haec omnia, ut enunciatum est, ita constituantur kal. septembris hujusce anni, ex quo tempora muliebria haec coenobia sua iterum bona, suosque redditus obtineant, ut ante annum millesimum octingentesimum vigesimum septimum, exceptis iis quae necessario mutari debuerunt, prout magis expediat administrationi onerum et impensarum, ut constat ex rationibus exhibitis cum allegatis documentis et cardinalis adjutoris Nostri a negotiis publicis nomine subnotato: peculiares interim declarationes de universa ratione adhibenda ad singulos moderatores transmittantur. Quoniam vero decessor Noster Leo XII. scutatos nummos viginti octomillia quingentos assignavit, Nos hanc pecuniae summam in hanc rem conferri non recusamus quod non aliter provisum sit, ita tamen ut singulis coenobiis sua pars pro uniuscujusque indigentia, et alendae familiae numero distribuatur. Neque tamen permittimus ut pecunia apud exactores maneat, sed volumus omnino hanc pecuniam in mensas nummarias submitti, sive in eam quae a S. Spiritu nuncupatur, sive in eam quae est in sacro Monte Pietatis, sive in eam quae depositis recipiendis designata est apud Cameram Apostolicam, ex iis autem pecunia per descripta mandata solvatur.

Rectae administrationi consulitur.

§. 5. Praeterea jubemus in unaquaque harum familiarum ministros a rationibus rationarium ex artis praescripto conficere duplici, ut ajunt, relatione, illudque quotannis ad summos praesides deferre non ultra diem qui est prid. kal. aprilis; quolibet vero triennio omnes accepti et expensi rationes in ordinem digerantes referant ad congregationem quam in hunc finem institui Nobis aut successoribus Nostris placuerit, quo omnis pecuniae administratio recognosci facile possit. Sed quoniam experientia constat istis puellarum receptaculis praeter summum praesidem alios esse assignandos spectatissimos viros qui eidem praesidi adjutores, familiae vero curatores sint, cumque tam difficile negotium viros sacerdotio fungentes maxime decere videatur, volumus ut unicuique harum familiarum bini saltem sacerdotes praesidis adjutores domui constituendae deputentur. Quibus vero a congregatione huic negotio jam praeposita hoc officium commissum fuerat, quod diligentissime suas partes egerunt, eos volumus inter sacerdotes muneri gravissimo deputandos principem locum habere. Animadvertentes autem coenobium a s. Euphemia dictum plura habere negotia cum mensa urbana depositorum; haec negotia viris laicis gerenda committi non prohibemus, et institutam jampridem ad hunc finem congregationem approbamus. Omnes vero et summi praesides, et eorum adjutores, ut piissimorum fundatorum rectissimae voluntati satisfiat, et peculiares unicuique coenobio praescriptae leges diligentissime serventur, vehementi studio sibi enitendum intelligant. Nec vero dubitandi locus Nobis est quin et summi moderatores harum familiarum, quas ita constituendas decrevimus, et eorum in gravissimo munere adjutores sedulam operam ac diligentissimum studium tantae rei praestaturi sint, ut et alumnis utilitati, et sibi decori, et reipublicae emolumento esse possint.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes quoque easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ipsarum

domuum puellis instituendis vulgo *conservatorii*, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 28. aug. 1829. Anno I.

XLVI.

Communicatio indultorum, privilegiorum, et indulgentiarum concessarum virginibus sacris Ursolinis nuncupatis de urbe favore sacrarum virginum ejusdem instituti civitatis Parmensis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacras virgines peculiari vivendi ratione Christo sponso placere studentes, quasque idcirco sanctus Cyprianus illustiorem gregis portionem vocavit, jure apostolico Romani pontifices sollicito studio tuentur, atque illis praesertim animae parata esse subsidia conantur. Eamdem itaque curam atque sollicitudinem, quam felicis recordationis Leo XII. decessor Noster in virginum collegium Parmae constitutum, atque a sancta Ursula nomen habens, pro viribus praestitit, et Nos ipsi impendere cupientes, novis beneficiis, quae animae bonum spectant, illud augere velimus.

Tenor concessionis.

§. 2. Auctoritate igitur Nobis a Domino tradita, deque Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, virginibus commemorati collegii, quas Ursulinas vocant, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenarum relaxationes impertimur, quibus moniales monasterii Ursulinarum in hac urbe perfruuntur. Praeterea cum in earum institutis plurima laude digna inveniantur, tum perutilis sanctificationi virginum, tum proximi charitati, idcirco hortamur easdem, ut iis firmiter adhaereant.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus atque impertimur, non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 28. aug. 1829. Anno I.

XLVII.

Concessio perpetuae indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui visitaverint parochialem ecclesiam augustissimae Triadi dicatam in suburbiis civitatis Mediolanensis.

Venerabili fratri
Archiepiscopo Mediolanensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Omni hominum memoria antiquior est cultus (quemadmodum Nobis fuit expositum) quo cives Mediolanenses pietate a majoribus accepta parrochialem ecclesiam augustissimae Triadi dicatam in suburbiis civitatis Mediolanensis, ac nominatim in loco « Corpi Santi » nuncupato prosequuntur; in eam enim et amplitudine, et opportunitate commendatam s. Carolus Borromaeus paroeciam a sancto Protasio « in Campo foris » transferre constituit: ibique in singulos annos maximo splendore festum ejusdem Triadis celebratur. Quum autem omnibus optatissimum sit, ut plenaria indulgentia eadem die ad tempus concessa perpetuo vigeat, suppliciter a Nobis petitum est, id apostolica venia decerni.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur accepto testimonio tuo, ex quo Nobis innotuit res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut eidem paro-

chiali ecclesiae sanctissimae Triadis prope Mediolanum auctoritate Nostra apostolica ex speciali gratia in perpetuum hujusmodi privilegium concedas atque indulgeas, cujus vi omnes utriusque sexus Christifideles vere poenitentes, et confessi, ac s. communione refecti, quum primis vesperis usque ad occasum solis Dominicae Trinitati sacrae eam ecclesiam pie pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et poenitentiarum relaxatione in Domino consequantur.

Derogatio contrariorum. §. 3. In contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima augusti, millesimo octingentesimo nonu, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 1. sept. 1829. Anno I.

XLVIII.

Concessio indulgentiarum assequendarum a puellis in congregationem coactis in regno Galliarum sub invocatione sacratissimi cordis Jesu, et Mariae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Laborantibus Nobis atque sollicitis de totius christiani gregis concrediti Nobis salute, non levi solatio esse experimur, quum noverimus pias nonnullas mulierum societates in Gallia praesertim florescere, quae saeculi illecebris nuncio remisso, atque in proximorum commodum sedulo incumbentes, uni Deo placere contendunt.

Ratio concessionis. §. 2. Huc sane spectat societas, cui nomen Filiarum Crucis in dioecesi Pictaviensi, sacris cordibus Jesu et Mariae dicatae, sub invocatione Mariae perdolentis, ac sub titulo sancti Andreae apostoli; ea enim praeterquamquod omni studio contumelias sacro cordi Jesu, et Christo in eucharistia latenti allatas reparare studet, rusticanas puellas religione, et foemineis artibus instituere, eisque praesto esse in earum domibus, ubi nosocomia desiderantur, puellas perquirere ut informentur, atque eucharisticam dapem primum excipiendam erudiantur; infantium curam suscipere, ut matres possint agros colere; atque in earum pia domo vetulas ac viduas excipere, ne consanguinei victum sibi manibus quaeritantes admodum pergraventur. Hinc quum exoptemus hujusce piae societatis mulieribus in Ecclesiae et reipublicae bonum intentis benevolentiam Nostram aliqua significatione testari, easque magis magisque favere, ut perutilia instituta, quibus se devovere, arctius teneant; earum vero nomine a Nobis humillime petitum fuerit, ut sacris nonnullis indulgentiis et gratiis eas ipsas donemus, haud possumus, quin hujusmodi votis alacri libentique animo obsecundemus.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, sodalitati ss. Rosarii in ecclesia principe piae mulierum societatis de qua agitur, rite erigendae easdem omnes et singulas indulgentias tum plenarias, tum partiales archisodalitati sanctissimi Rosarii orbis ab hac apostolica Sede jam alias impertitas tribuimus et impertimur, dummodo tamen ii omnes, qui in eam sodalitatem adscribentur, injuncta omnia pro indulgentiis consequendis rite adimpleant. Moderatoribus autem in tempore commemoratae mulierum societatis auctoritate Nostra apostolica facultatem concedimus in earum domibus (si desint fratres Minores sancti Francisci de observantia, et reformati nuncupati, qui a summis pontificibus praedecessoribus Nostris hoc privilegio donati) erigendi stationes viae Crucis, seu Calvariae nuncupatas, quod quidem pium exercitium, ut utilius evadat, singulis quibusque mulieribus in iisdem domibus degentibus, quae devotionem Viae Crucis, quoties passionis memoriam recolendo peregerint, aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolverint, easdem indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quas felicis recordationis Innocentius XI. Innocentius XII. aliique pontifices pariter praedecessores Nostri Christifidelibus praedictum exercitium in ecclesiis fratrum, de quibus habita est mentio, ubi erectum reperitur, peragentibus concesserunt, apostolica auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino elargimur. Ipis praeterea moderatoribus facultatem quoque facimus benedicendi cruces, seu sacra numismata, ac imagines Domini No-

stri Jesu Christi ex aere tamen, aliove metallo confectas cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, itemque coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum sanctae Birgittae nuncupatarum, easque omnes christifidelibus distribuendi, quibus muniti eas indulgentias in forma Ecclesiae consueta, et ab hac apostolica Sede praescripta possint lucrari. Demum mulieribus in societatem de qua agitur cooptatis vere poenitentibus et confessis, ac s. communione refectis quo die in eamdem receptae societatem fuerint, itemque die, quo ejus instituta amplexae, nec non diebus, quibus agitur festum Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Assumptionis, Praesentationis et Visitationis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo, sanctissimi Rosarii, Inventionis et Exaltationis s. Crucis, sacri Cordis Jesu et Mariae, Deiparae perdolentis, sanctorum Andreae, Josephi, Petri et Pauli apostolorum, nec non die sexta mensis maji, dummodo pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et poenitentiarum relaxationem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 1. sept. 1829. Anno I.

II.

Concessio facultatis emphyteuticandi bona ecclesiae parochialis oppidi Mirandae dioecesis Narniensis.

Venerabili fratri Episcopo Narniensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius presbyter Terentius Desideri, se rectorem esse cappellaniae a s. Catharina nomen adeptae, atque in parochiali ecclesia oppidi Mirandae intra limites istius tuae Narniensis dioeceseos erectae, cujus fundi hac illuc dispersi in agro ejusdem loci, atque ita positi, ut ex iis parum redditus percipiatur. Itaque optimum factu sibi visum fuit, impetrata hujus apostolicae Sedis venia, emphyteusim perpetuam de illis statuendam curare. Et quoniam post consueta programmata binos inter licitatores major inventus est dilectus filius Valentinus Camilli, qui obtulit annuum canonem nummorum scutatorum viginti octo, cum onere solvendi de suo vectigalia omnia (sacrificia enim a cappellaniae rectore sunt explenda) cumque oratori illius oblatio haud spernenda videatur, quippe quod fundi a publico geometra septingenti scutati nummi supra unum et octoginta atque obuli quadraginta quinque fuerunt aestimati, supplici idcirco eum prece a Nobis postulavit, ut ad ineundam emphyteusim ejusmodi apostolicam Nostram opem veniamque largiamur.

§. 2. Nos vero oratorem, nec non alios, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum consilio, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, ac postea quam compereris hujusmodi contractum in evidentem cappellaniae utilitatem cedere, eadem auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, tuaeque conscientiae monito facultatem facias, cujus ope perpetua illa emphyteusis ad generationem masculinam tantum iniri queat, pacto canone, et conditionibus, de quibus meminimus. Quo quidem de canone cavebis, ut pendatur liber et expers omnium onerum, quaeque ordinaria sint, vel extraordinaria, et sive rebus sive personis imposita sunt, vel imponenda, atque inter fundorum onera praecipuum ducatur, mandabisque pro solutione canonis et oneribus aliis implendis dari ab emphyteuta fidejussionem idoneam, vel cano- Tenor concessionis.

ni illi et aliis oneribus aliam praeterea fundum subjici.

Conditiones adjectae. §. 3. Praeterea curabis, ut fundorum fines, qui in emphyteusim traduntur, accurate demonstrentur in solemnibus tabulis, hoc de contractu a notario exarandis, utque illis inseratur fundorum descriptio linearis, quam plantam vel mappam appellari mos est. Denique contractum munies illis omnibus conditionibus, quas vel acta oblationis habent, vel ex consuetudine hujuscemodi contractibus addi solent.

Derogatio contrariorum. §. 4. Haec concedimus atque mandamus, non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum ac Paulli II., aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus vero ut quomodocumque cessante emphyteusi praedicta, illico emphyteuticus fundus, vel fundi cum adnexis rebus ac juribus ad cappellaniam revertantur, eaque cedant solo, per quae fundi meliores fuerint effecti; quin petitio renovandae concessionis hujusmodi, si quis illam urgeat, bono juri consentanea possit haberi. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub anulo piscatoris die quarta septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 4. sept. 1829. Anno I.

L.

Erectio novae dioecesis in promontorio Britanno in America Septemtrionali.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus Nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum, supremae siquidem potestatis, judiciique Nostri est illas moderari, earumque limites constituere, vel immutare, prout, habita temporum, ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Ratio concessionis. §. 2. Quum itaque ad religionis negotia commodius, et expeditius in promontorio Britanno in America Septemtrionali procuranda, et ad fidei Catholicae propagationem ibi facilius consequendam, Nobis relatum fuerit, in primis opportunum esse, memoratum promontorium e dioecesi Quebecensi separare, et jurisdictioni subjicere vicarii apostolici Novae Scotiae, quae ipsi promontorio valde proxima est, Nos, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, hujusmodi separationem probavimus.

Constitutio novae dioecesis. §. 3. Ut autem hujusce deliberationis perpetuum extet testimonium, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium Britannum promontorium a dioecesi Quebecensi separantes, illud vicariatui apostolico Novae Scotiae adjungimus, ac jurisdictioni illius vicarii apostolici pro tempore subjicimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae Quebecensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LI.

Dat. die 11. sept. 1829. Anno I.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesiam, cappellam, et oratorium confraternitatis Bonae Mortis civitatis Sagiensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis, seu piae unionis sub invocatione Bonae Mortis in ecclesia s. Christophori, civitatis Sagiensis canonice ut asseritur, erectae, seu erigendae, quod alias ipsis confratribus, et consororibus ecclesiam seu cappellam vel oratorium dictae

confraternitatis seu piae unionis diversis anni diebus devote visitantibus, ibique orantibus, aliaque injuncta opera adimplentibus, nonnullas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes per similes in forma brevis, seu alias expeditas literas, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, perpetuo concessae fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat confratres confraternitatis, seu piae unionis hujusmodi non in dicta civitate tantum, sed et alibi moram trahant, ne absentes praefatis spiritualium gratiarum donis priventur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ut confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, supplicationibus hujusmodi inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, deque Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus et consororibus in eadem confraternitate, seu pia unione adscriptis ac pro tempore adscribendis ubicumque moram trahentibus, qui de caetero pro consequutione indulgentiarum praefatarum, injunctis operibus adimpletis, propriam respective parochialem ecclesiam praescriptis ut supra diebus pie visitaverint, infirmis autem, aliove legitimo impedimento detentis, qui alia pietatis opera, quae pro viribus exercere poterunt, peregerint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ut eas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequi valeant, ac si diebus praefatis ecclesiam seu cappellam vel oratorium dictae confraternitatis seu piae unionis, ut praefertur, visitassent, apostolica auctoritate tenore praesentium similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LII.

Dat. die 11. sept. 1829. Anno I.

Concessio oratorii privati cum facultate satisfaciendi praecepto assistandi divinis favore sacerdotis Philippi Massari de urbe.

Dilecto filio Nostro in alma urbe vicario in spiritualibus generali.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili Noster,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius presbyter Philippus Massari Liberianae basilicae hic in urbe parochus, se ad parochiales aedes sacellum aere suo adstruxisse, ut nonnulla munera sibi obeunda magis commode possit explere, quod non ita aliquando eodem in templo eveniret. Hinc supplici cum prece a Nobis petiit, ut ex Nostra indulgentia ac venia inibi sacrum fieri liceat, cui quidem quicumque diebus festis intererit, praecepto quod est de assistendo divinis omnino satisfaciat.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, eumque peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrit, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutum fore censentes, acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi dilecte fili Noster, eas partes imponimus atque mandamus, ut dummodo ad illud sacellum cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum, secus omnino claudantur, atque ab aedibus sit adeo sejunctum, ut nullus inde neque accessus, neque prospectus habeatur, idem ipsum, etsi ejus porta viam pubblicam haud spectet, decreto fel. rec. Pauli V. praedecessoris Nostri de non celebrando in oratoriis privatis edito minime obnoxium declares, atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut quotiescumque capax, ac decenter ornatum, nihilque eorum quae ad sacrum in eo faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo munerum parochialium detrimento divina hostia per oratorem, seu per

quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut quicumque diebus festis pietate illa qua decet inibi sacrificio assistat Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Id concedimus atque indulgemus non obstantibus iis quae dicta sunt, atque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 11. sept. 1829. Anno I.

LIII.

Concessio facultatis extruendi sacellum privatum cum privilegio satisfaciendi in illo praecepto de assistendo divinis favore Petri Alvarez de Toledo ex magnatibus primi ordinis Hispaniarum.

Venerabili fratri Archiepiscopo Toletano.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius Petrus Alvarez de Toledo ex magnatibus Hispaniarum primi ordinis, se in ruralibus aedibus intra limites istius tuae Toletanae dioecesis sacellum seu aediculam publicam aedificare velle ubi sacrum fieri possit, cui scilicet quicumque diebus festis intererit, praecepto quod est de assistendo divinis omnino satisfaciat. Hine supplici cum prece a Nobis petiit ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, eumque peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quevis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutum fore censentes, tibi venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habent prout expositae, dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde neque accessus, neque prospectus habeatur, eamdem ipsam, etsi ejus porta viam publicam haud spectet, decreto fel. rec. Pauli V. praedecessoris Nostri de non celebrando in oratoriis privatis edito minime obnoxiam declares, atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut quotiescumque capax ac decenter ornata, nihilque eorum quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut quicumque diebus festis pietate illa qua decet inibi sacrificio assistet, Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Id concedimus atque indulgemus non obstantibus praemissis, atque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 15 sept. 1829. Anno I.

LIV.

Commutatio dispositionis factae a majoribus domus Albani dioecesis Bergomensis super celebratione missarum in suffragium animarum decessorum ipsius familiae.

Dilecto filio Vicario capitulari ecclesiae Bergomensis illius episcopali sede vacante legitime deputato.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius comes Wenceslaus Albanius istius dioecesis, se bonorum omnium, quae a majoribus relicta, haeredem factum, oneri subjici unius sacrificii in singulos dies ad aram s. Mariae Magdalenae in parochiali ecclesia Urgnani

Bergomensis istius dioecesaos celebrandi. Quum autem aliquando bipartita haereditas, atque ex haeredibus alter ob loci distantiam ab hac apostolica Sede perpetuo facultatem obtinuerit sacrificiorum numerum per sex menses, ad ipsum pertinentium, alibi explendi, vel in ejus privatis sacellis, vel ubi aptius duxerit, supplici cum prece a Nobis petiit orator, ut ex Nostra indulgentia, ac venia ad reliquam anni partem idem indultum protendare velimus; eo magis quod parochialis ecclesia Urgnani, et praesertim ara s. Mariae Magdalenae sacrificiorum piis legatis satis instructa.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur oratorem peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutum fore censentes, acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, dilecte fili, qui vicarii capitularis istius ecclesiae suo carentis pastore munus geris, eas partes imponimus, atque mandamus, ut habita praecipue ratione missarum copiae, quae in eadem parochiali ecclesia celebrantur, oratori auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus vi sacrificia etiam per alios sex menses, ejus opera, ac cura, ex majorum fundationis lege, ibidem explenda, vel in ejus privatis sacellis, si hujusmodi privilegium rite obtineat, ilsque servatis, quae in eo servari praecipiuntur, vel alibi ad suum arbitrium perpetuo possint peragi. Volumus autem ut de sacrificii hujus celebratione episcopalis curia quotannis doceatur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus, atque indulgemus, non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non legis fundationis pii legati de quo agitur etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo octiogentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LV.

Dat. die 22. sept. 1829. Anno I.

Facultas satisfaciendi praecepto ecclesiastico in odeo extructo in sacello beatae Mariae virginis perdolentis pro piis mulieribus in congregationem coactis.

Venerabili fratri Episcopo Fesulano.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Faustina Calzolari in oppido « s. Clementis a Pelago » istius Fesulanae dioecesis, se, quo suae, tum etiam aliarum puellarum cum ea degentium pietati indulgeret, ad ejus aedes publicum sacellum adstruxisse Mariae perdolenti dicatum, itemque odeum, cui ex iisdem aedibus patet aditus. Quum autem impense cupiat, ut illo ex odeo et ipsa, at puellae contubernales sacrosancto sacrificio adstantes festis diebus ecclesiastico praecepto possint satisfacere, supplici cum prece a Nobis petiit ejus rei ergo apostolica venia moniri.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur oratricem, nec non alias, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutas fore censentes, acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio facultatem facias, cujus vi oratrix ac puellae contubernales diebus quibuscumque per annum festis ex odeo illo sacerdoti adstantes dum in commemorato sacello sacrum facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi tamen curae erit, ut tum lignea, tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico, et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui, volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem vene-

rabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus atque mandamus non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LVI.

Dat. die 25. sept. 1829. Anno 1.

Confirmatio concessionis jam factae de asservando odeo in ecclesia patrum ordinis sancti Augustini civitatis Aesinae pro marchione Adriano Colucci.

Venerabili fratri Episcopo Aesino.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut Nobis exponi curarunt dilecti filii prior, et fratres ordinis Eremitarum s. Augustini civitatis istius Aesinae, duobus ab hinc saeculis et ultra apertum existat parvum odeum vulgo coretto, eorum ecclesiam in loco segregato introspiciens, in uno ex quinque cubiculis supra sinistram ejusdem templi alam sitis, quae ad praesens quaedam familia Colucci inhabitat; quumque, vi apostolicae facultatis, prout asseritur, impetratae, quinque illa cubicula dilecto filio marchioni Adriano Colucci vendantur pluris, quam aestimata sunt, praefati oratores memoratum odeum favore dictae familiae apertum servari desiderant.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur oratorum votis annuere, prefatumque marchionem speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attenta relatione procuratoris generalis ejusdem ordinis una cum consensu prioris, et patrum praefati conventus, tibi, venerabilis frater, per praesentes committimus, ut variis existentibus narratis, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia concedas et indulgeas, ut memorata fenestra sive odeum, quod in ecclesia existit, servari possit in posterum favore familiae marchionis praefati, dummodo munitum sit crate ferrea, et lignea, proviso, ne ulla perturbatio fiat servitio chori, orationibus, piisque religiosorum exercitiis, ad hoc ut ex eadem fenestra ad chori usum, marchio, ejusque consanguinei, descendentes, et familiares in servitio eadem in domo cohabitantes, incruento sacrificio adsistentes, praecepto festi satisfacere, aliisque sacris functionibus vacare possint, et valeant, sub lege tamen, ut accessus ad eam fenestram sive odaum ab omni domestico usu sit immunis, et liber, et in pariete lapis apponatur in conspicuo loco, cum declaratione, quod domus oratoris nulla gaudeat immunitate ecclesiastica.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non dictae ecclesiae vel coenobii etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

LVII.

Dat. die 25. sept. 1829. Anno 1.

Facultas extruendi sacella privata in aedibus in quibus degunt consules regis Sardiniae missi ad Orientis plagas.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Eximia in Deum pietas, ac observantia in hanc apostolicam Sedem, aliaeque virtutes, quae carissimum in Christo filium No- Prooemium.

strum Carolum Felicem Sardiniae regem quam optime ornant, Nos profecto adducunt, ut ejus votis pro viribus annuamus. Id autem eo libentius fieri posse ducimus, quum hujusmodi vota eo praecipue spectare novimus, ut Catholicae religionis fovendae studium magis magisque vigeat non solum in ditionibus suo imperio subditis, verum etiam in disjunctissimis locis multigena errorum tabe misere infectis.

Expositio precum. §. 2. Ejus enim nomine a Nobis demissa prece petitum fuit, ut in aedibus in quibus degunt consules ab eo missi ad Orientis plagas, sacellum possit constitui, ibique sacrum peragi, quod ad praecepti satisfactionem suffragetur tum ipsis, tum familiaribus, aliisque omnibus, qui eidem sacrificio interessent.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur Christifidelium pietati consulere cupientes, ne in barbaris terris mystico sacrificio, quo Deo patri reconciliati sumus, omnino careant, itemque rem gratam atque jucundam pientissimo regi facere volentes, auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut in aedibus consulum Sardiniae regis ad Orientem sacellum possit constitui decenter auro extructum et ornatum a domesticis usibus liberum ab apostolico delegato, seu ab alio ad sui arbitrium adlegendo prius visitandum et approbandum, illudque vel Deiparae virgini, vel aliis coelitibus, dumtaxat iis, quos Ecclesia universa sanctorum titulo veneratur, dicandum, quod tamen minime impediet, quominus eodem in sacello praeter tabulam principem super altare positam alia minor imaginem b. Amadaei efficta addatur. Eadem praeterea auctoritate Nostra apostolica facultatem facimus, qua hoc in sacello, artis tectisque parochialibus juribus, omnique adhibita cura, nequid in sacrificii contemptum ab heterodoxis perpetretur semel in dies etiam per annum solemniores per quemcumque presbyterum rite probatum divina hostia libere ac licite possit immolari, quibus quidem sacris quum quilibet catholicae religioni addictus pietate illa qua decet intersit, ecclesiastico praecepto paruisse ducatur. Demum ut Sardiniae subditi in exteris quoque regionibus peculiari cultu b. Amadaeum prosequantur de benignitate Nostra indulgemus, ut quemadmodum in Sardiniae regis ditionibus, ita in sacellis de quibus agitur, vel harum literarum vi erigendis, vel jam legitime erectis officium et missa ipsius beati fieri liceat.

Derogatio contrariorum. §. 4. Haec volumus atque mandamus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta septembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LVIII.

Dat. die 2. octob. 1829. Anno 1.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesiam sancti Rocchi civitatis Parmensis in fasto sanctae Angelae Meriei.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, et ad explenda pia vota dilectarum in Christo filiarum virginum illius collegii Parmae, cui nomen « *delle orsoline* » quod ex instituto sanctae Angelae Mericiae exordium sumpsit coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, praedictis virginibus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesiam sancti Rocchi ejusdem collegii Parmensis civitatis, eo die, quo festum dictae sanctae Angelae Mericiae celebrari quotannis contigerit a primis vesperis usque ad occasum solis pia, religioseque adierint, ibique pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et poenitentiarum relaxationes misericorditer in Domino concedimus: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 2. octob. 1829. Anno I.

LIX.

Extensio indulgentiarum concessarum pluri-mis ecclesiis dioecesis Monasteriensis asse-quendarum ab illis, qui eas visitaverint.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus Monasteriensis quod alias fel. rec. Leo pp. XII. praedecessor Noster omnes et singulas indulgentias, peccatorum remis-siones, ac poenitentiarum relaxationes, quas utriusque sexus Christifideles in compluribus suae dioecesis ecclesiis die festo Patrocinii ex concessione apostolica lucrabantur, ad Domi-nicam praefatum festum proxime subsequen-tem translatas declaravit, prout in aliis desu-per in simili forma brevis sub die secunda de-cembris anni millesimi octingentesimi vigesi-mi octavi expeditis literis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat adeo magnus ad praefatas ecclesias sit populi concursus, ut omnes christifideles coelestibus bujusmodi Ecclesiae thesauris participes fieri nequeant in dicta Dominica, quas omnes pa-rochi in sua paroecia occupati ulterius eccle-siae servitio, uti mos est, ac fidelium confes-sionibus excipiendis operam praestare, nec non aliis ecclesiasticis functionibus mutuo sibi auxiliari nequaquam possunt, praefatas omnes indulgentias, quae dicta Dominica, ut supra lucrantur, ad totam octavam per Nos extendi et ampliari summopere cupit.

Tenor concessionis.

§. 2. Nobis propterea humiliter supplicari fecit episcopus praefatus, ut in praemissis op-portune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem venerabilis fratris votis hac in re quantum Nobis ex alto conceditur benigne an-nuere volentes, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remis-siones, ac poenitentiarum relaxationes, quae in singulis dictae dioecesis ecclesiis ab omni-bus christifidelibus dominica festum Patroci-nii proxime subsequente lucrantur, ad totam octavam, servata tamen in omnibus praefata-rum literarum forma et dispositione auctori-tate apostolica, tenore praesentium extendi-mus et ampliamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstan-tibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo pi-scatoris die secunda octobris millesimo octin-gentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 9. octob. 1829. Anno I.

LX.

Concessio tituli, et privilegiorum archiconfra-ternitatis favore congregationis sanctissi-mi Sacramenti loci Piedemonte Aliphanae dioecesis.

Venerabili fratri Episcopo Aliphano.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis curarunt dilecti filii offi-ciales atque sodales congregationis a sanctis-simo Sacramento appellatae in loco vulgo Pie-dimonte istius Aliphanae dioecesis, rite prout asseritur, erectae, sibi in votis esse ad majo-rem Dei gloriam, fidelium utilitatem, eorum-que spiritualem consolationem, praefatam congregationem titulo et privilegiis archicon-fraternitatis per Nos ditari.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur audita super praemissis re-latione tua praedictos oratores speciali bene-ficentia prosequi volentes, et a quibusvis ex-communicationis, et interdicti, aliisque eccle-siasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint bujus tantum rei gratia ab-solventes et absolutos fore censentes, suppli-cationibus eorum nomine Nobis humiliter por-rectis inclinati, tibi venerabilis frater, vi prae-sentium committimus, ut, si in Domino expe-dire censueris, congregationem praefatam in archiconfraternitatem cum omnibus juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis et consue-tis, sine tamen cujusquam praejudicio aucto-

ritate Nostra apostolica perpetuo erigas, et instituas, ac ejusdem archiconfraternitatis sic erectae officialibus et sodalibus praesentibus et futuris facultatem eggregandi alias quascumque congregationes ejusdem instituti, extra urbem ubique locorum erectas praedictae archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis rec. me. Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri nec non communicandi eisdem omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi congregationis sic in archiconfraternitatem auctoritate Nostra erigendae praefata Nostra auctoritate concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, supradictae congregationis, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac in solitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXI.

Dat. die 2. octob. 1829. Anno I.

Deputatio judicum specialium pro revisione causarum criminalium eorum qui in regno Hispaniarum subsunt foro ecclesiastico.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cogitationes Nostras et studia in ipso delati Nobis maximi pontificatus exordio ad ea convertimus, per quae christiani populi conditio ac status ubique locorum, quantum fieri potest, melior evadat. Hinc eorum preces, qui in Hispaniae regno fidei causa in judicium adducuntur saepenumero ad Nos perlatas haud repellendas esse putamus, dum a Nobis poscerent, ut provocationes seu appellationes eis concedantur a sententiis latis, vel a metropolitis vel a praesulibus exemptis, vel ex ulteriore, ut ajunt, instantia, ad quas canonum praescripto jus habere possunt usque dum poena fuerit subeunda. Et quidem e vestigio rem totam diligenter perpendere aggredimur, et rationum omnium momenta sedulo inquirere, ut christifidelibus carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi VII. catholici regis imperio subditis hac in re aliquid praesidii pro viribus afferamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Itaque summopere cupientes, ne qui hujusmodi criminibus accusati carcere diu tabescant, neque graviores molestias, expensas, et moras devorent, si ad hanc sanctam Sedem velint confugere, quo judices eodem in regno constituantur pro agnoscendis causis, eisque judicandis, quum appellationi sit locus, paterni animi Nostri sensibus obsequuti, statuimus illius christiani populi necessitatibus occurrere, ac rectam celeremque juris ad ministrationem curare. Motu igitur proprio, ac certa scientia, plenaque auctoritate Nostra apostolica venerabili fratri Francisco archiepiscopo Athenarum Nostro et apostolicae Sedis apud regem catholicum nuncio, integritate ac juris scientia enique probato, ejusque in hoc munere successoribus, opportunas quasque ac necessarias tribuimus facultates, quibus, donec aliter provisum fuerit provocationes seu appellationes in fidei causis possit admittere, tribunali Rotae illius apostolicae legationis judicium committendo, eadem plano

ratione, quemadmodum in constitutione fel. rec. Clementis pp. XIV. praedecessoris Nostri anno millesimo septingentesimo septuagesimo vigesimo primo edita praescriptum est de aliis causis, vel criminalibus vel civilibus, quae eidem tribunali expendendae et definiendae traduntur, iis tamen omnibus servatis, quae in judiciis rel tanti momenti servari solent et debent. Idcirco a sententiis per eos judices primum latis, scilicet a primo, ut vocant, turno, liceat in casibus a jure permissis appellare et controversiam committere secundo (turno) ac tertio, quarto et quinto, si opus fuerit, usque dum tres sententiae concordes habeantur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Haec volumus atque mandamus, decernentes hasce literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, quamdio ut supra dictum est, aliter provisum fuerit; Nostrumque nuncium his facultatibus auctum ad earum liberum exercitium admittendum esse, seu admitti debere. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque praesulibus Hispaniarum regni per praesentes injungimus, ut in hujusmodi provincia ei demandata, ejusque partibus obeundis, suam jurisdictionem, potestatem, auctoritatem admittant, et faciant ab aliis admitti, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendo servatis processibus censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta octobris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXII.

Dat. die 14. octob. 1829. Anno I.

Facultas tributa episcopo Ratisbonensi admittendi tam regias, quam capitulorum nominationes, nominatisque donandi canonicam institutionem.

Venerabili fratri Carolo archiepiscopo Tyri apud regem Bavariae Nostro et apostolicae Sedis nuntio.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut Nobis expositum est, fel. rec. Leo pp. XII. decessor Noster preces clarae memoriae Maximiliani Josephi Bavariae, dum viveret, regis, benigne excipiens, ac spe fretus, fore ut pactiones cum apostolica hac Sede de ecclesiasticis rebus initae absolute ac religiose ab eo adimplerentur, suis apostolicis in simili forma brevis die decima nona decembris anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto datis literis, benigne indulserit, ut Bavarici regni archiepiscopi et episcopi tunc existentes, per integrum eorum vitae cursum, tum regias, tum capitulorum nominationes, vi apostolici indulti anni millesimi octingentesimi decimi septimi, factas ad ecclesiastica beneficia, de quibus ibidem est mentio, canonica institutione donare possent; quumque venerabilis frater Joannes Michael episcopus Ratisbonensis suppliciter a Nobis petierit, ut eamdem facultatem, qua ejus decessor b. m. Joannes Nepomucenus episcopus Ratisbonensis, vi apostolici praefati indulti, ad vitam frui potuit, benigne ei tribuamus, haud gravate inducimur, ut ejus precibus obsecundemus.

Tenor concessionis.

§. 2. Quapropter, tibi venerabilis frater, facultatem facimus et impertimur, ut Nostra auctoritate ac nomine oraturi episcopo Ratisbonensi apostolicum indultum tribuas, cujus praesidio, quoad vixerit, tum regias tum capitulorum nominationes praefatas admittere illi liceat juxta ea, quae articulo decimo conventionis die quinta junii anni millesimi octingentesimi decimi septimi initae sancita sunt, ac nominatos canonica institutione donare.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, et Pii VII. praedecessoris item Nostri memoratis apostolicis literis datis pridie idus novembris anni millesimi octingentesimi decimi septimi, aliisque datis kalendis aprilis anni millesimi octingentesimi decimi octavi, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octobris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 27. nov. 1829. Anno I.

LXIII.

Facultas empytheuticandi domum sitam in urbe in via Minerva pertinentem pio operi instituti a Joanne Arquedas.

Dilecto filio Nostro in alma urbe vicario in spiritualibus generali.

Pius PP. VIII.

Dilecte filii Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius Ludovicus Semprebene jurisconsultus, qui uti tuus auditor, administrator est pii operis a Joanne Arquedas instituti, nihil aliud in fundis illud habere, nisi secundam contignationem domus sitae in urbana via « Minerva » numero quinto distinta; a qua quidem contignatione pauperibus plerumque locata quia certus annuus redditus nunquam percipitur, piae idcirco testatoris voluntati quotannis fieri satis nequit: huc accedit quod eadem domus admodum perantiqua saepe indiget reparationibus, ita tamen ut non leves tricae in administratione oriantur. Quum autem Joachim, et Joseph Giove germani fratres reliquarum aedium Domini emphytheusim perpetuam de illa contignatione contrahere parati annuum obtulerint canonem nummorum scutatorum triginta supra duos, quem architectus aequum judicavit, adjecta lege persolvendi imperata onera, illamque servandi; quumque plane utilis pio operi bujusmodi oblatio videatur, summa enim pene aequalis ex ejus pensione redit, oneribus minime demptis, suppliciter ipse Ludovicus a Nobis petiit, ut ad eum contractum ineundum apostolicam Nostram opem, veniamque largiamur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur oratorem, nec non alios, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum consilio, tibi, dilecte fili Noster, eas partes imponimus, atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, ac postquam compereris contractum de quo agitur in evidentem pii operis utilitatem cedere, eadem auctoritate Nostra facultatem facias, cujus ope perpetua illa emphytensis ad lineam masculinam, et foemineam in infinitum iniri queat pacto canone et conditionibus, de quibus meminimus. Quo quidem de canone cavebis, ut pendatur liber, et expers omnium onerum, quaeque ordinaria sint, vel extraordinaria, et sive rebus, sive personis imposita sunt, vel imponenda, utque inter illius contignationis onera praecipuum ducatur, mandabisque pro solutione canonis trium annorum, et oneribus aliis implendis dari ab emphyteuta fidejussionem idoneam, vel canoni illi, et aliis oneribus alium praeterea fundum subjici. Insuper curabis, ut fines contignationis in emphyteusim traditae accurate demonstrentur in solemnibus tabulis hoc de contractu a pubblico scriba conficiendis, utque illis inseratur descriptio linearis, quam plantam appellari mos est. Denique contractum munies illis omnibus conditionibus, quas vel acta oblationis habent, vel ex consuetudine hujuscemodi contractibus addi solent.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus, atque mandamus, non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. super divisione materiarum, ac Pauli II., aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut quomodocumque cessante emphyteusi praedicta, illico emphyteuticus fundus cum adnexis rebus ac juribus ad pium opus redeat, eaque cedant solo per quae fundus melior fuerit effectus, quin petitio renovandae concessionis hujusmodi, si quis illam urgeat, bono juri consentanea possit haberi. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 20. nov. 1829. Anno I.

LXIV.

Concessio indulgentiarum assequendarum a monachis ordinis sancti Benedicti congregationis Cisterciensis monasterii regiae domus s. Susannae dioecesis Caesaraugustanae.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes religiosos viros, qui spretis hujus saeculi vanitatibus divini numinis obsequiis sese manciparunt, pastorali benignitate complectimur, prout conspicimus in Domino expedire.

Tenor concessionis. §. 2. Hinc est quod Nos volentes dilectos filios monachos ordinis s. Benedicti congregationis Cisterciensis vulgo de Trappa nuncupatos in monasterio regiae domus s. Susannae degentes Caesaraugustanae dioecesis nonnullo favore prosequi, auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi: omnibus et singulis monachis praedictis vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui die sabati cujuslibet hebdomadae post completorium communiter in choro et solemniter antiphonam *Salve Regina* ad cultum et venerationem beatissimae Virginis sanctissimae ab ipso Catholicae Ecclesiae exordio ubique gentium semper impensam, et exhibitam adaugendam devote recitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In singulis vero totius anni diebus iisdem monachis saltem contritis eamdem antiphonam ut supra recitantibus, et reliqua omnia peragentibus, quo die praefatorum id egerint, biscentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesimo novembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 27. nov. 1829. Anno I.

LXV.

Erectio quatuor cappellaniarum ex bonis ecclesiae et xenodochii sanctorum apostolorum Petri et Pauli in civitate Matriti Toletanae dioecesis.

Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Athenarum Nostro, et apostolicae Sedis ad regem catholicum nuncio.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius administrator, et rector pontificii, et regii xenodochii, et ecclesiae sanctorum apostolorum Petri et Pauli in urbe Matriti Toletanae dioecesis, ex parvo sacerdotum numero haud parum negligi tum illius ecclesiae cultum, tum xenodochii ministerium pro Italo-

tum commodo jam instituti, ac positi sub immediata sanctae hujus Sedis jurisdictione, quae per nuncium apostolicum exercetur; huic autem malo opportunum posse remedium afferri, si ex piis legatis missarum, quae eadem in ecclesia celebrandae, tres, aut quatuor erigantur cappellaniae totidem sacerdotibus attribuendae, sacrificiorum onera, eaeteraque munera expleturis. Id vero ut fieri apostolica Nostra auctoritate possit, idem administrator, et rector supplici libello ad Nos misso enixe obtestatus est. Quum porro de re agatur, quae Nobis summopere cordi est, de majori scilicet illius ecclesiae cultu, non minus quam xenodochii utilitate procuranda hujusmodi postulationi libenter annuendum censuimus.

Tenor concessionis. §. 2. Quo circa ipsum administratorem, et rectorem, nec non alios, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, tibi, venerabilis frater, qui nunc in Hispaniis apud carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandem regem catholicum Nostri, et hujus Sedis apostolicae nuntii munus geris, per hasce literas committimus, atque mandamus, ut si id revera ejusdem ecclesiae, et xenodochii bono futurum duxeris, pro tuo arbitrio, tuaeque conscientiae monito ex memoratis legatis piis, quibus ecclesia ipsa potitur, quatuor, aut saltem tres constituas cappellanias, ad quas omnia sacrificiorum onera in iisdem piis legatis imposita redigas, facta onerum congrua distributione, ac imminuto etiam, si opus sit, et per quam moderate, missarum numero. Curabis autem hac in re omnia provide, quantum scilicet fieri poterit, accommodare ad conditiones in fundationibus praescriptas. Atque ut certius incommodo, quod ex sacerdotum paucitate oritur, remedium adhibeatur, tu, venerabilis frater, eadem auctoritate Nostra decernes, tot esse in posterum sacerdotes constituendos, quot nunc a te fuerint indictae cappellaniae. Ad haec decernes, eosdem ipsos sacerdotes praeter missarum celebrationem juxta numerum in unaquaque cappellania praefiniendum, debere singulos in solemnioribus per annum festis diebus ministerium suum praestare memoratae ecclesiae sanctorum apostolorum Petri et Pauli; in caeteris vero diebus vicissim, seu alternis vicibus ea in ecclesia pro sacro tribunali christifidelium confessiones excipere, denique infirmis, qui in eodem xenodochio extiterint, praesto esse quum spiritualia auxilia illis ferenda.

Reservatio juris nominandi cappellanos favore sanctae Sedis. §. 3. Jam vero sacerdotum electio, quibus cappellaniae erunt attribuendae, ad te, ac tuos successores, nempe ad Nostrum, et hujus sanctae Sedis nuncium in Hispaniis pro tempore pertinebit. Confidimus profecto per ea, quae indulsimus futurum ut posthac tum ecclesiae cultui, tum xenodochii commodo satis provisum.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Haec statuimus, atque mandamus decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apotolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non legatorum piorum, xenodochii, et ecclesiae, de quibus habita est mentio, privilegiis, statutis, et consuetudinibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima novembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXVI.

Dat. die 1. nov. 1829. Anno I.

Facultas celebrandi sacrum, et satisfaciendi praecepto ecclesiastico in sacello privato familiae Caneva civitatis Januensis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Januensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Theresia Caneva istius civitatis, se aediculam sacram amisse sitam in via cui nomen « Salita s. Anna » sub paroecia s. Mariae Magdalenae ejusdem civitatis. Quum autem impense cupiat, ut inibi sacrum fieri possit, cui scilicet quicumque diebus festis interesit praecepto quod est de assistendo divinis satisfaciat, supplici cum prece a Nobis petiit ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, eamque peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit hujus tantum indulti assequendi gratia absolventes, et absolutam fore censentes, acceptoque tuae archiepiscopalis curiae testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum, serus omnino claudantur, atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde neque accessus, neque prospectus habeatur, eamdem ipsam, cujus porta viam publicam spectat, decreto felicis recordationis Pauli V. praedecessoris Nostri de non celebrando in oratoriis privatis edito minime obnoxiam declares, atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut quoties cumque capax ac decenter ornata, nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento, divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut quicumque diebus festis pietate illa qua decet inibi sacrificio assistet, Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Id concedimus atque indulgemus non obstantibus praemissis, atque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXVII.

Dat. die 11. dec. 1829. Anno I.

Facultas tributa archiepiscopo Firmano deputandi auditorem cum jurisdictione in causis civilibus, et criminalibus.

Venerabili fratri Archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Magnus negociorum numerus istius tuae amplissimae dioecesis, praedecessorum tuorum exemplo te adduxerunt, ut auditorem curiae adlegeres, cui ex apostolico rescripto facultatem etiam fecisti civiles causas cognoscendi: quod quidem interea dum majoram in rebus gerendis celeritatem affert, pro-vicarium generalem a te constitutum ab onere praegravi sane allevat. Nunc vero quum ob tui corporis incommoda magis magisque viris probatae fidei tibi sit committendum, quos in parte pastoralium curarum advocasti, opportunum idcirco tibi visum est praeter civiles criminales etiam causas eidem tuo auditori dijudicandas committere; etenim qui pro vicarii generalis munus obit, quique prima tui canonicorum collegii dignitas ecclesiastica tantummodo negotia, tum etiam locorum piorum expedienda curat. Id autem eo magis a Nobis postulasti, quod ipse pro-vicarius generalis quum istius sit dioecesis, ibique plurimos habeat propinquos, et necessarios, ei difficile profecto foret justitiam administrare, quin in discrimen veniret. Suppliciter ergo a Nobis petiisti, cum ut veniam ex Nostra indulgentia tibi concedere velimus. Expositio precum.

§. 2. Nos igitur hujusmodi occasionem capti rem gratam atque jucundam tibi referendi, auctoritate Nostra apostolica concedimus, et indulgemus, ut auditor tuus, qui jam ex hujusce s. Sedis venia in civilibus causis judicem agit, servatis iis, quae servari opus est, causas etiam de criminibus possit cognoscere, ac poenae sententiam pro officio judicis libere ac licite ferre, exceptis tamen iis, quae sacram generalem Inquisitionem respiciunt. Tenor concessionis.

Derogatio contrariorum. §. 3. Id concessum atque indultum volumus non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae praefatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima prima decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXVIII.

Dat. die 11. dec. 1829. Anno I.

Confirmatio indultorum privilegiorum et indulgentiarum jam concessarum sodalitio sanctae Mariae Auxiliatricis sancti Amoris civitatis Lucae.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis est a dilectis filiis moderatoribus sodalitatis a Maria Auxiliatrice s. Amoris numen adeptae, atque in collegiata parochiali ecclesia sancti Alexandri majoris istius civitatis Lucae rite, ut asseritur, constitutae, illi a felicis recordationis Pio VII. praedecessore Nostro, per s. congregationis Indulgentiarum rescriptum die vigesima tertia januarii anni millesimi octingentesimi vigesimi primi datum, communicatas fuisse indulgentias, quae sodalitati ejusdem nominis in urbe Pisaruni, et antea Monachii erectae, alias ab hac apostolica Sede fuerant concessae. Verum quum supplex libellum, quo id tunc postularunt, non sodalitatis Mariae Auxiliatricis s. Amoris, sed Mariae Perdolentis nomine fuerit inscriptum, verentur idcirco ne participes fiant indulgentiarum, quibus tum ab eodem pontifico, tum a felicis etiam recordationis Leone XII. pariter praedecessore Nostro eorum sodalitas fuit ditata: hinc supplici eum prece a Nobis petiere, ut easdem ipsas benigne confirmare velimus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi singulas quasque indulgentias sodalitati Mariae Auxiliatricis s. Amoris in collegiata parochiali ecclesia sancti Alexandri Majoris Lucae a commemoratis duobus pontificibus praedecessoribus Nostris impertitas, quamquam noverimus eam in urbe aliam quoque sodalitatem ejusdem nominis esse, et iisdem privilegiis perfrui, confirmamus et approbamus, et quatenus opus sit, iterum perpetuo concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus felicis recordationis Clementis VIII. apostolicis literis die septima decembris anno millesimo sexcentesimo quarto editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXIX.

Dat. die 11. dec. 1829. Anno I.

Destinatio cappellae ruralis conditae sub invocatione sancti Bartholomaei in loco nuncupato Vicinato de Pins Gerundensis dioecesis in spiritualem commodum universi populi.

Venerabili fratri Episcopo Gerundensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis curavit dilectus filius Benedictus Muni loci vulgo Vicinato de Pins istius Gerundensis dioecesis sibi in votis esse, quamdam cappellam aere proprio erectam, et divo Bartholomaeo sacram, spirituali utilitati et commodo ruricularum illius loci accommodatam, auctoritate Nostra apostolica publicam declarari.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur praefati oratoris votis benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, cappellam praefatam dummodo decenter extructa januam habeat in publica via, ac omnibus per eam pateat

accessus, nec ulla interna communicatio cum aliis adjacentibus aedibus, si quae sint, existat, et ab omnibus domesticis usibus libera, et ab aliis mansionibus separata reperiatur, auctoritate Nostra apostolica, sub prohibitione et mandato felicis recordationis Pauli pp. V. praedecessoris Nostri de non celebrando in privatis oratoriis edito minime comprehensam declares, et ubi capax, et decenter ornata existat, nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum necessaria sunt, desideretur, ac demum sine quorumcumque jurium parochialium praejudicio, sacrosanctum missae sacrificium inibi per quemcumque sacerdotem a te approbatum saecularem, seu de superiorum suorum licentia regularem celebrari dicta auctoritate Nostra arbitrio tuo permittas.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus, praemissis ac apostolicis sanctionibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 21. dec. 1829. Anno I.

LXX.

Ordinatio nosocomiorum urbis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quae super egenum et pauperem intelligit Christiana charitas nihil unquam antiquius habuit, quam ut iis potissimum opitularetur, qui morbo corporum simul et animorum laborantes opis maxime indigerent. Hinc vel ab imperatoris Constantini temporibus inter alias hospitales domos, publica valetudinaria condita sunt, obstupescente mundo, aegreque ferentibus inanium deorum cultoribus, novum hoc humanitatis exemplum, quo vana eorum coarguebatur superstitio, Christum in terras invexisse. Plurima, procedente tempore, praeter alia religionis et charitatis monumenta, extructa in urbe fuerunt nosocomia, magnisque proventibus aucta maxime a summis pontificibus, et a S. R. E. cardinalibus; atque ita singula aegrotantibus pauperibus recipiendis assignata, ut unusquisque, prout diversa morbi natura requireret, curari diligentissime posset. Varia etiam variarum nationum hominibus, qui in hanc urbem advenire solent, hospitia patuerunt, quae adversae eorum valetudini auxilia potissimum subministrarent. Religiosi quoque ordines ab hac apostolica Sede approbati fuerunt, congregationes ac sodalitates institutae, ut cujusvis generis et conditionis Christiani vel ex voto, vel sancta aemulatione incitati, moribundis expiandis consolandisque, languentibus assidendo, eosdemque reficiendo in publicis valetudinariis, veluti in quadam humilitatis et charitatis officina sese exercerent. Atque ut quae in urbe Christianae religionis principe miseris hominibus beneficia comparabantur, ea latius diffundi, atque in alias quoque civitates propagari facilius possent, quaedam nosocomia primaria, sive archihospitalia constitui visum est, quorum scilicet ad normam alia simili fere ratione alibi constituerentur, quibus communia forent ea religionis beneficia, quae tam egregiae charitati remunerando a pontificibus maximis impertita fuissent.

§. 2. Quantam vero cladem exeunte saeculo XVIII. haec tam praeclare constituta acceperint ex teterrima illa rerum perturbatione nemo Nostrum ignorat. Nonnulla ex minoribus valetudinariis direpta sunt, pleraque bonis expolista, pessumdata ubique piorum testatorum voluntate. Anno millesimo octingentesimo primo Pius VII. praedecessor Noster in Nos beneficentissimus tantae rei componendae animum adjiecerat, sed externo milite urbem denuo occupante, valetudinaria ipsa novas vices subjerunt, omnia ut in unum coalescerent sancitum est civili potestati subjecta, destinatique ab ea fuerunt administratores, qui universae rei oeconomicae omnique valetudinariorum ministerio praeessent. Recuperato iterum imperio anno millesimo octingentesimo decimo quarto praedictus decessor Noster iterum in rem gravissimam studia contulit: congregationi valetudinariis moderandis praepositae antistitem ex Romana curia praefecit, aliosque ecclesiasticos viros addidit, bona, et quod ex aerario suppeditabatur communiter administrari interim permisit; valetudinarium tamen ad S. Spiritus, cujus et bonorum administratio ita est ampla ac difficilis, ut cum aliorum administratione conjungi non satis opportune posse videatur, ad pristinum statum revocandum existimavit. Hoc enim

Memorantur vicissitudines, quibus exeunte saeculo XVIII. nosocomia urbis subjecerunt.

valetudinarium sane praecipuum, quod Innocentius III. condidit, magnisque proventibus ditavit, Sixtus IV. pene collapsum restituit, ac splendidiore cultu ornavit, Benedictus XIV. Nostra etiam aetate Pius VI. ampliaverunt, ac mirificam pauperum virorum in urbe aegrotantium complectitur multitudinem, utpote quod omnibus febricuioso morbo laborantibus recipiendis patet. Hic etiam propriis in locis et qui tabo conficiuntur, et qui saucii, et qui solertiore chirurgorum manu indigent curantur. Hic vel a saeculo duodecimo expositis infantibus excipiendis nutriendisque brephotrophium, iisdemque grandiusculis alendis curotrophium est, et foeminis etiam adulta aetate retinendis coenobium; hic amentibus quoque servandis aedes additae sunt.

Quae de illis praecepta fuerint a Leone XII referuntur.

§. 3. Felicis recordationis praedecessori Nostro Leoni XII. ea mens fuerat, ut in hoc caeterisque valetudinariis majoribus multa constitueret; quae communi utilitati conducere arbitraretur, ideoque constitutione motu-proprio edita die tertia januarii millesimi octingentesimi vigesimi sexti omnium procurationem una administratione communiter geri voluit, ut quid cuique congrueret expeditius dignosceretur, ac singula quam posset opportunissime constituerentur; idque tandem perficeret, ut nullum esset infirmorum genus, cui non valetudinis perfugium aliquod pateret. Quae cum ille mortalitate interceptus perficere non potuerit Nobis in animo est rem tanti momenti ea ratione componere, quam communium commodorum ratio requirere videatur, quaeque possit certa ac perpetua forma constabiliri. Itaque divini numinis ope enixis precibus efflagitata, suffragiis exquisitis venerabilium fratrum Nostrorum cardinalium, quos expediendis potissimum negotiis a fel. rec. decessore Nostro Leone XII. non absolutis in consilium adlegimus, rationes uniuscujusque nosocomii separatim administrari utilius et fructuosius posse cognovimus, ac ad pristinam fere procurationem reduci oportere; iis tamen adjectis quae prius deficere videbantur. Jam vero praecipuum illud valetudinarium ad S. Spiritus, adjunctaque receptacula, quae supra memoravimus, regi et procurari jussimus, prout iterum jubemus, per canonicos regulares, quorum ordo saeculo XIII. ineunte constitutos hoc sibi imposuit, ut aegrotis animae corporisque salutem afferre omni studio enitatur, quique fore speramus ut veterem illum charitatis ardorem concipere denuo et augere velint in dies, quo conferre quoad possumus vehementer optantes, in animo habemus aptas eorum officio ac temporum rationi regulas ipsis praescribere. Et quoniam hoc archinosocomium est quaedam veluti civitas, et perampla habet vectigalia tum rustica tum urbana, mensam quoque publicam nummariam pauperum beneficio prudentissimo consilio constitutam, idea virum postulat et negotiorum expediendorum et legum ac juris peritissimum; ea propter sancimus ut ex veteri more institutoque majorum aliquis Romanae curiae antistes et collegio canonicorum moderando, et toti familiae regendae ac rationibus negotiisque dirigendis praesit veluti magister generalis et abbas commendatarius, derogantes praesenti constitutione cuicumque juri per pontificias quascumque literas a quolibet acquisito.

Destinatio singulorum valetudinariorum.

§. 4. His ita constitutis ad alia primaria valetudinaria oculos animumque convertimus. Ea sunt numero quinque (nihil enim immutatum fuit in xenodochio ad sanctissimae Trinitatis) et archihospitalia nuncupantur. Valetudinarium dictum a sanctissimo Salvatore ad Sancta Sanctorum, quod Joannes Colonna cardinalis S. R. E. saeculo XIII. condidit, destinatumque nunc est recipiendis foeminis sive acuto morbo, sive tabe, sive scorbuto, ut dicunt, aegrotantibus, sive etiam chronico morbo affectis. Valetudinarium ad s. Jacobi, quod Jacobus Colonna cardinalis S. Romanae Ecclesiae fundavit saeculo XIV. pateique omnibus sive viris, sive foeminis aut ibi detinendis, aut statis horis curandis, qui vulnere, ulcere, tumoribus, caeterisque morbis extrinsecus laborant vel insanabilibus, vel diuturnam chirurgorum curationem exigentibus. Valetudinarium ad beatae virginis a Consolatione nuncupatae, quod ex tribus angustioribus in unum conjunctis plures summi pontifices loco ac redditibus auxerunt, quibuscumque tum ex vulnere, tum ex fractura, tum ex contusione vel ex luxatis membris, tum ex ambusto laborantibus, ac subitam curationem poscentibus tum viris tum foeminis recipiendis. Duo haec nosocomia eos quoque recipere debent, qui solertiorem chirurgorum operam desiderant, foeminas praecipue, quae difficiliori indigentes chirurgiae curatione in aliis

publicis valetudinariis locum habere non possunt. Valetudinarium ad s. Gallicani a Benedicto XIII. pontifex maximus fundatum ad omnes at foedos porrigine et scabie corruptos, vel statis horis curandos, vel si acuto morbo laborent, aut pueri sint, qui ex pontificiae ditionis aliquo loco deveoerint, retinendos alendosque; ubi etiam foeminae pauperes acuto et gravi morbo aegrotantes in vicis transtyberinis, quae si ad Lateranum deferendae forent, nimio periculo obnoxiae viderentur, admittuntur. Inter haec valetudinis perfugia locum denique habet hospitium primarium ad s. Rochi a card. Antonio Maria Salviati institutum saeculo XVI. feminis praegnantibus, quibus adest partus, recipiendis, et per octo dies a partu sine mercede alendis: hic etiam quae plures menses antequam pariant usque ad finem puerperii consistere volunt, certis sub conditionibus, detinentur.

Redintegratio distinctae administrationis pro singulis nosocomiis.

§. 5. Haec autem omnia publica valetudinaria, si una administratione gerantur, non satis consultum videtur neque communi utilitati, neque rei ipsius diuturnitati. Itaque re mature perpensa visum in Domino est aliter ea de re constituere: eoque valetudinaria illa ad pristinam redigi rationem volumus et mandamus, congregationemque iis moderandis institutam abolemus. Quae tamen ab eadem congregatione in valetudinariorum bonum invecta sunt, ea permanere volumus ac salva consistere; idcirco quod infirmorum genus nunc unumquodque nosocomium amplectitur, ac supra indicavimus, nulla facta imminutione illud in posterum recipiat; ac insuper decernimus, ut quicumque inopinato eventu ab aliquo nosocomio opem postulent sine ulla mercede curentur; item quae alia instituta utiliter sunt, non immutentur. Sorores autem collegiatae in valetudinario foeminis recipiendis ad Lateranum, tum etiam ad s. Gallicani, ubi tirocinium quoque ejus collegii est, pergant, ut est earum institutum, foeminas infirmas diligenter curare, ut sua agendi ratione Nubis ostendant quae ex hoc collegio in rem publicam proficiscantur utilitates, quo fiat ut quid stabili forma constituendum sit cognoscamus.

Distributio redituum a rev. Camera praestandorum.

§. 6. Interim quinque nosocomiorum modo dictorum quis sit status, quaeve indigentia jam perspectum est, ideoque unicuique sua bona restitui jubemus, reddituque ex aerario Nostro quocumque titulo nosocomiis ipsis assignatos, et hactenus in commune collatos ita distribui, ut singulorum indigentiae satis provisum sit, prout commode fieri posse cognovimus. Habeat quaelibet ex his familiis praesidem antistitem aliquem Romanae curiae tum etiam duos curatores, quorum alter ex sacerdotum, alter ex laicorum genere eligatur; horum vero prudentia et consilio omnia regi debeant et administrari. Eorum erit providere ne aegrotis aliquid desit sive ad eos Christianae doctrinae rudimenta edocendos, sive ad eorum animos reficiendos consolandosque: qua de causa ea iterum sancimus, quae fel. rec. decessor Noster Leo XII. supradicta constitutione motu proprio edita capitulo L. et XXV. summo studio inculcavit; nimirum ut non desint confessionibus excipiendis, morientium animis diligenter curandis et scientia et probitate praediti et caritatis studio inflammati sacerdotes, quaeque superioribus temporibus constituta fuerant de religiosorum ordinum viris per vices mittendis, qui infirmos religione instituant, eorumque sacras confessiones excipiant, diligentissime serventur; tum etiam ut omnia primaria valetudinaria fruantur concessis alias privilegiis, et parochorum jurisdictioni nullatenus subsint; firma tamen maneant jura cardinalis Nostri in urbe vicarii, tum de sacerdotibus ad confessiones excipiendas approbandis, tum de caeteris, quae Tridentina synodus et Nostri decessores ad religiosos ordines, eorumque ecclesias quod spectat constituerunt.

De gubernio singulorum nosocomiorum.

§. 7. Sed quoniam experientia constat respuere animorum medelam eos, qui se negligi videant, et suam valetudinem nullo studio curari, ideo nosocomiorum praesidibus et curatoribus commendamus, ut de munditie, de alimentis, de medicorum et chirurgorum diligentia curam maximam gerant; loca ipsa, quoad fieri possit, meliora et salubriora in dies ex medicorum sententia fieri curent. Studeant omni ratione ne in bonorum administratione aliqua aut fraus aut incuria alicujus detrimentum vel minimum demandato sibi valetudinario inferre possit. Commemorent omnibus, qui bona infirmorum utilitati assignata administrant, quam grave judicium iis qui bona pauperum in sua commoda convertunt comminatur Dominus, qui per Isaiam sic loquitur cap. 3 v. 14 « Dominus ad judicium

veniet cum senibus populi sui et principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra ». Itaque res pauperum studiosius quam suas curandas noverint, rustica atque urbana praedia in meliorem conditionem perducere enitantur, caveant praesertim ne obtentu aedium reficiendarum, tum initis suo arbitratu locationibus, redditus et annuae pensiones in incerto sint, aut deficiant, quod facile evitare poterunt, si aedes ipsas ad emphyteusim, idoneas tamen cautiones exigendo, dabunt: in omnibus autem contractibus ineundis, praesertim vero in alienationibus, canonica disciplina adamussim servanda. Meminisse etiam debent praesides et curatores totius familiae sibi curam esse demandatam, ideoque de omnium tum famulorum, tum alumnorum, tum omnis generis administrorum moribus esse sibi diligenter inquirendum, et providendum, ut omnes honestam et christianam vitam ducant, et si infirmorum aliquis de eorum negligentia conqueratur, moderatores illum audire et rem cognoscere ne graventur, ecclesiastici dictu audientes (cap. 4 v. 7) « congregationi pauperum affabilem te facito ». Alumni autem in arte salutari excolenda se se diligenter exerceant; eorum utilitati in valetudinariis pateat schola anatomica et chirurgica, in qua earundem artium praxin edoceantur.

De congruo numero administrorum servando.

§. 8. Caveant summopere praesides et curatores ne praepostero favore ournorum administrorum valetudinarii detrimento adaugeant, et si nunc superfluos invenerint, iis deficientibus ne succedatur obsistant: item provideant ut administri, qui rem oeconomicam gerunt, cujusmodi sunt vel oeconomus, vel exactores, vel ratiocinatores summa religione munus suum obeant, et in eos frequenter inquirant. Singulis familiis rationarium sit ex artis praescripto, rationumque index quotannis non ultra diem, qui est pridie kalendas apriles deferatur ad praesidem et curatores, qui omnia recognoscant, dein illum suo nomine subnotato, nisi aliquid reprehendendum invenerint, ad nos sive ad successores Nostros per cardinalem adjutorem a negotiis publicis mittant ipso mense aprili. In rationibus ita conficiendis quidquid in bonis et redditibus mutationis evenerit, specialiter enunciandum praecipimus ac declarandum, tum etiam judicem adjiciendum, quo constet quidquid infirmorum valetudinarium receperit, dimiserit, composuerit. Minister a rationibus ineunte anno nomina, et solvendo statuta tempora praesidi et curatoribus patefaciat. Exactores autem pecuniam apud se retinere nolumus, sed sine ulla mora deponere in ea mensa publica quae designabitur, ac depositae pecuniae testem apocham, ut jam erat in more positum, exhibere, quo pecunia deinde per descripta mandata solvatur.

De bonis singulis nosocomiis reddendis.

§. 9. Quemadmodum bona et redditus nosocomii ad S. Spiritus jam separatim administrantur, ita alia quinque superius indicata nosocomia kal. januarii anni millesimi octingentesimi trigesimi sua bona, suosque redditus obtinebunt, et in descriptis jussu Nostro mandatis, quae adsingulorum valetudinariorum praesides mittentur ab dilecto filio cardinali prothodiacono Josepho Albanio adjutore Nostro a negotiis publicis, cujus etiam erit Nostri aerarii praefecto praecipere, quae facienda sit ab ipso aerario Nostro persolvendarum pecuniarum distributio: istorim vero attribuendam decernimus unicuique ex his quinque valetudinariis eam pecuniae summam, quae universae familiae alendae et sumptibus faciendis usque ad exitum bujusce anni satis futura videatur, cujus omnis ratio ab antistite curiae Nostrae Josepho Antonio Sala ab epistulis sacrae congregationis concilii Tridentini decretis interpretandis, qui congregationi valetudinariis moderandis a fel. rec. decessore Nostro Leone XII. institutae diligentissimo praefuit, expedietur una cum omnium valetudinariorum praesidibus per Nos designatis, quibus etiam tradi debebunt scripturae, si quae sunt penes modo dictam extinctamque congregationem ad singula valetudinaria spectantes: quae vero ad plurium nosocomiorum causas atque jura respiciunt, ea diligenter conservabuntur in tabulario nosocomii ad s. Jacobi, et omnium nosocomiorum praesidibus earum index mittatur. Si quae exorienter quaestiones ac dubia in separatione bonorum atque redditnum, totiusque bujusce negotii serie Nobis definienda per memoratum prothodiaconum cardinalem Albanium proponantur.

His ita constitutis, spes maxima Nobis est omnes et qui praesunt, et qui subsunt in nosocomiis ita suo munere functuros, ut sanctae charitatis aemulatione incitati et miserorum

curam diligentissime gerentes in minimis illis pauperibus et dolentibus regem regum et Dominum dominantium agnoscere videntur.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstante quacumque dispositione vel sanctione per fel. rec. Pium VII. et Leonem XII. Romanos pontifices praedecessores Nostros datis, praesertim vero motu proprio diei tertiae januarii anni millesimi octingentesimi vigesimi-sexti, ac non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non eorumdem nosocomiorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, at literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 21. dec. 1829. Anno I.

LXXI.

Concessio indulgentiarum assequendarum a confratribus sodalitatis virorum domus clericorum regularium societatis Jesu Parodii dioecesis Augustodunensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Robertus Debrosse presbyter ac superior domus residentiae clericorum regularium Societatis Jesu Parodii Augustodunensis dioecesis, quod Christifideles confratres confraternitatis, seu sodalitatis virorum tantum in domo residentiae hujusmodi canonice ut asseritur erectae, diversis vicibus quolibet anno spirituali cuidam pietatis et religionis exercitio hora sancta nuncupato circa medium noctis in ecclesia seu cappella vel oratorio ejusdem domus, ut quoque asseritur, peragendo vacare consueverunt seu intendunt, idcirco ut magis eorumdem confratrum seu sodalium numerus, ac etiam pietatis et devotionis zelus major in dies evadat, coelestium Ecclesiae thesaurorum, quorum dispensationem fidei Nostrae credidit Altissimus elargitione, eos ditari plurimum cupit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur praedicti exponentis zelum et religionem plurimum in Domino commendantes, ejusdem votis hac in re, quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus et singulis confratribus seu sodalibus confraternitatis vel sodalitatis praefatae eidem vel nunc adscriptis vel pro tempore adscribendis vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui pio ac devoto exercitio, hora sancta nuncupato circa medium noctis in ecclesia, seu cappella vel oratorio domus residentiae clericorum regularium Societatis Jesu Parodii Augustodunensis dioecesis peragendo quandocumque vacaverint, ac ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint qua vice id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 22 dec. 1829. Anno I.

LXXII.

Erectio vicariatus perpetui cum speciali cancellaria in Privernensi civitate pro universa dioecesi.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

De praestantia civitatis Privernensis.

§. 1. Priverni civitas olim in Latio, nunc in ea Pontificiae ditionis Nostrae provincia sita, quae vulgo « *Campagna Romana* », appellatur, priscis gentilitatis temporibus civium virtute, territorii fertilitate, et amplitudine, armis, togisque commendata; lumine dein fidei in exordio christianae religionis illustrata, nunquam ab ea defecit, et novo coruscavit splendore, unde merito anno a partu Virginis octingentesimo vigesimo quarto episcopalis cathedrae honore fuit dignata, et per quatuor ferme saecula nonnullos habuit episcopos doctrina, pietate, religione, aliisque meritis praestantes. Ea est civitas, in qua sacrae theologiae, sacrorumque canonum studia praeclara illa Ecclesiae luminaria, ss. scilicet Thoma Aquinates et Bonaventura moderati sunt, quorum primus in monasterio Fossae Novae intra limites Privernensis dioecesis sito obdormivit in Domino, cujus corporis insignes reliquiae, caput videlicet, et praecordia in cathedrali illa ecclesia religiose asservantur.

Vicissitudines quibus subjecit cathedra Privernensis.

§. 2. Ast cum ea sit humanarum rerum conditio, ut quae certis temporibus opportuna videntur, immutatis dein circumstantiis, ab instituto recedant, initio saeculi XIII. sedente fel. rec. Honorio pp. III. praedecessore Nostro, haec Privernensis ecclesia, cujus tenues redditus quum congruam episcopo mensam haud suppeditarent, Terracinensi ecclesiae perpetuo fuit adjuncta, et incorporata, non immutato titulo civitatis. Delituit hujusce Privernensis cathedrae episcopalis nomen, et honor usque dum fel. rec. Benedicto pp. XIII. praedecessori pariter Nostro, anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto Setinam ecclesiam in cathedralem eligere placitum est, et illam ad pristinum episcopalis sedis honorem restituere, suis apostolicis literis praecipiendo; ut eae tres ecclesiae Terracinensis videlicet, Privernensis, et Setina inter se unitae aeque principaliter essent, jure tamen eligendi vicarium capitularem, qui tribus hisce ecclesiis, sede vacante, praeesset, Terracinensi capitulo privative relicto, utque pariter, prout in memoratis praedecessoris expressum est literis, episcopi Terracinenses possent pro eorum arbitrio in memorata civitate Privernensi residere, ac vicarium generalem, aut specialem retinere, functionesque episcopales temporibus, et diebus eis benevisis ibidem peragere.

Decretum sacrae congregationis Concilii super jure civitatis habendi vicarium generalem.

§. 3. Quamvis autem memorati praedecessoris dispositiones per se clare pateant, et canonicae sanctiones jus habendi vicarium generalem unicuique ex dioecesibus unitis non abrogent, Setina tamen civitas sibi illud privative abrogare praesumpsit, unde Privernensi et Terracinensi ecclesiis obsistentibus, geminum dubium in comitiis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum die vigesima prima septembris millesimo octingentesimo vigesimo primo habitis, distributis hinc inde allegationibus, discutiendum praepositum fuit, videlicet « I. » An civitati, et ecclesiae Setinae competat jus privativum retinendi unicum vicarium generalem, et unicam cancellariam generalem pro tribus unitis dioecesibus, ita ut sit ei danda manutentio « II. » An et quomodo ecclesiis Privernensi, et Terracinensi competat jus habendi vicarium, et cancellariam generalem « eadem congregatio respondit, quoad primum negative in omnibus, affirmative vero arbitrio episcopi quoad secundum. Hac edita congregationis resolutione b. m. episcopus Manasse, qui tunc tres praedictas dioeceses unitas regebat, anceps de modo exequendi eam partem, quae ejus arbitrio fuerat commissa, auditorem fel. rec. Pii pp. VII. praedecessoris Nostri adhibuit in consilium, a quo per epistolam intellexit plurimum spirituali fidelium utilitati profecturum, si in unaquaque dioecesi vicarius, constitueretur generalis; etiam cum aliquo impendio mensae episcopalis. Tantum vero in ejus animo hujusce consilii vis valuit, ut illico in unaquaque dioecesi vicarium nominaverit.

Dotatio facta a civitate.

§. 4. Privernensis autem civitas, quae pergratam habuit hanc vicarii electionem, onus constituendi eidem vicario stipendium, quod mensae episcopali certo incumberet, in se ipsam transtulit; assignata de licentia congregationis Boni Regiminis summa scutatorum biscentum quadraginta super publici aerarii redditibus, quotannis episcopo pro vicario memorato persolvenda. Ast memorata civitas, quae nunc utilibus hujusce vicarii perfruitur effectibus, et substinet onera, timens, ne in posterum aliquis adveniat episcopus, qui plu-

rimum arbitrio suo indulgens vicarium amovere possit, et deinceps detestata revigeant incommoda, novaeque excitentur perturbationes, enixis precibus a Nobis expostulavit, ut vicarii, et cancellariae generalis jus, sive privilegium alias per memoratum praedecessorem Nostrum Benedictum XIII. et vi resolutionis relatae congregationis Concilii arbitrio episcopi relictum, perpetuum, et immutabile in posterum declaremus.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos omnibus mature perpensis, permoti officiis in hanc rem interpositis a dilecto filio Nostro Josepho S. R. E. diacono cardinali Albani nuncupato Nostro a secretis status, et brevium, ac Privernensis praedictae civitatis protectore, cleri, populique ejusdem civitatis votis annuere volentes, ac omnes, quibus praesentes literae favent a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica vi praesentium praecipimus, atque mandamus, ut in posterum a civitate, et dioecesi Privernensi vicarius, et cancellaria generalis amoveri non possint, dummodo tamen per aerarium illius communitatis exacte summa scutatorum biscentum quadraginta titulo honorarii vicarii generalis quotannis, et in menstruas ratas portiones distribuenda persolvatur, qua deficiente, erit arbitrio episcopi reservata, vel amotio, vel continuatio dicti vicarii, in reliquis vero ea omnia serventur, quae per fel. rec. Benedictum pp. XIII. circa tres praedictas dioeceses sancita sunt, et per congregationem Concilii definita.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Haec praecipimus, atque mandamus non obstantibus memorati Benedicti praedecessoris literis, ac decisione congregationis praedictae, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 22. dec. 1829. Anno I.

LXXIII.

Reintegratio piae domus Industriae in insula Melitae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Peropportunum sane atque perutile non Christianae modo sed et civilis reipublicae bono fatendum, adolescentulas a prima aetate ad omnem pietatem, ad easque instrui artes, quibus possint in tempore congruum honestumque sibi victum cultumque comparare.

Expositio precum.

§. 2. Qua ex re perfectum, ut quinque circiter ab hinc annis ista in insula Melitae constitutae fuerint aedes, quae vocentur domus Industriae, ubi puellae num amplius tercentae tam ejusdem insulae quam Gozi fortunae bonis destitutae et gratis aluntur, et rudimentis fidei, et foemineis artibus imbuuntur. Accidit nimirum anno millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, ut ea insula a Gallicis copiis occupata monasterium perantiquum mulierum poenitentium a s. Maria Magdalena nomen adeptum, quod erat in civitate Valletta fuerit extinctum, et aliquae ex illius monialibus claustralem vitam sequendi cupidae in religiosa septa s. Catharinae sese receperint, quarum quidem octo tantum supersunt senio confectae. Hujusmodi foeminarum poenitentium asylum plurimum commodi pro facte insulae allaturum, si in Industriae domo reviscisceret, suisque legibus regeretur. Id autem ut fiat suppliciter a Nobis petiit dilectus filius eques Vincentius Casolani regimini ejusdem domus praefectus, ut redditus extincti monasterii, tum etiam alios nonnullis piis causis designatos, ac nomine charitatis cumulorum distinctos, quique ab eadem pia domo partim jam percipiuntur, et Nostra indulgentia ac venia redditibus ejusdem domus perpetuo addicamus.

Tenor concessionis.

§. 3. Quapropter Nos, qui pubblicae charitatis instituta atque animarum salutis incitamenta pro viribus tueri, servare, ac pias testatorum voluntates, quantum fieri potest, perfici studemus, alacri libentique animo ejus votis obsecundamus. Omnes igitur, ac singulos, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, aucto-

ritate Nostra apostolica redditus quosque monasterii foemiearum poenitentium Vallettae, quod jamdiu extinctum, Industriae domui, de qua agitur perpetuo unimus ac jungimus, itemque maudamus, in unum veluti corpus ac patrimonium coalescere; ea tamen lege ut ibi pro hujusmodi poenitentibus foeminis seorsum pateat perfugium. Ex hac vero redditunm accessione ne quid detrimenti monialibus s. Mariae Magdalenae, quae in claustra sanctae Catharinae migrarunt, volumus illatum; quoad enim vixerint ex iisdem redditibus quemadmodum usque adhuc peractum est, ali praecipimus. Eadem praeterea auctoritate Nostra apostolica commemoratae domui Industriae, nonnullas administrationes, vulgo « Cumuli di carità » dictas, quibus partim jam ipsa perfruitur, omnino etiam adjungimus, praevia caeteroquin tum de hisce, tum de monasteriis foemiuarum poenitentinm bonis synopsi publica auctoritate conficienda. Rebus ita dispositis, ejusque domus censu ex Nostra indulgentia valde aucto curandum erit, ut non solum puellae paupertate laborantes insulae, et Gozi, sed totius Melitensis dioeceseos inibi excipiantur, ac nulla earum impensa instituantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Haec concedimus, atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa, quae expressa sunt iis quos respiciunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non legis fundationis tum quorumlibet ex piis legatis, tum praefati monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum jubemus ut si forte eadem domus Industriae quomodocumque finem habeat, redditus ac bona, quae per hasce literas illi attribuimus, ad ecclesiam illico redeant. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda decembris millesimo octingentesimo vigesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

LXXIV.

Dat. die 15. jan. 1830. Anno I

Deputatio ministri generalis ordinis Minorum sancti Francisci civitatis Matriti.

Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Athenarum Nuncio apostolico apud regem catholicum.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Quum, sicut Nobis exponi curasti, fratres ordinis Minorum s. Francisci Capuccinorum nuncupatorum in regnis Hispaniarum degentes versentur in necessitate post obitum p. Justi a Matrito vicarii generalis dicti ordinis in memoratis regnis, vel novum vicarium in capitulo generali eligendi, vel ab auctoritate Nostra apostolica illum impetrandi, donec comitia generalia ordinaria, quae pro electione ministri generalis die quarta proximi futuri mensis junii currentis anni jam indicta sunt, celebrabuntur; quumque plura etiam occurrant, quae comitia ipsa generalia vel remorari, vel irrita facere valeant, Nos, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, auditoque ministro generali dicti ordinis, ea statuere decrevimus, quae temporum rerumque circumstantiis opportuna videntur, ne ulterius et praedicta religiosa familia Transmontana suo careat capite, et comitia generalia tempore suo rite celebrari valeant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur omnes et singulos, quibus praesentes hae literae favent speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas

furto incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutes fore censentes, auctoritate apostolica vi praesentium dilectum filium Cyprianum bodieranm ministrum provincialem Matriti, sive provinciae Castellae, cujus praeclara merita commendantur, in provicarium generalem usque ad proxima futura comitia generalia die quarta junii, ut dictum est, celebranda cum omnibus facultatibus, juribus, privilegiis, indultis, praerogativis, praeeminentiis, auctoritatibus, et honoribus eidem officio adnexis, eligimus et deputamus, tibique, venerabilis frater, mandamus, ut hujusmodi electionum numine Nostro fratribus ejusdem ordinis, in regnis Hispaniarum degentibus, et memerato pro-vicario subiectis patefacias, eosque ad obedientiam et reverentiam in memoratum pro-vicarium generalem per Nos electum excitare cures. Quuad vero comitia generalia die quarta junii currentis anni celebranda, quum plurimae sint causae Nobis eotae, quae impediunt, quominus fratres vocales Cismontani Itali ejusdem erdinis plerique provectae aetatis, et adversae valetudinis incommodis laboraetes, ad illa possint accedere, auctoritate apustolica tenore praesentium omnes fratres vocales Cismontanos Itales a lege petendi comitia generalia praedicta solvimus, et liberamus, et ita ut vocales Hispani ministrum generalem; Itali vero vicarium generalem in urbe, servatis servandis eligere opportuno tempore valeant. Ac praeterea, quum bodiernus minister generalis dicti ordinis comitiis praefatis in regnis Hispaniarum celabrandis praeesse nequeat, nec jure nominandi praesidem eorumdem comitiorum ad formam constitutionum ordinis, prout asseritur, frui desideret, Nos cupientes, ut comitia hujusmodi recte ac feliciter ad Dei gloriam, dictique ordinis utilitatem tempore suo celebrentur, te, venerabilis frater, du cujus prudentia, integritate, ac raligionis zelo plurimum in Domino confidimus, eorumdem comitiorum praesidem cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, bonoribus, et oneribus hujusmedi praesidibus spectantibus, et competentibus, ac quibuscumque aliis solitis, et consuetis, ac cum facultate quando tu actibus comitiorum interesse non potaris, aliquem virum religiosum ejusdem ordinis dignitatu aliqua praeditum, ac prudentia, et morum integritate commendatum in tui locum, ad hujusmedi praesidis munus obeundum, cum auctoritate ac facultatibus tibi per praesentes concessis, substituendi auctoritate apostolica tanore praesentium facimus, constituimus, et deputamus, teque in Domino hortamur, et monemus, ut comitia praefata fideliter regere, ac in illis omnia quae ad prosperum fratrum praedictorum regimen, et gubernium pertinent, decerni, statui, ac urdinari cures et facias. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis fratribus superioribus, vocalibus, aliisque dicti ordinis in regnis Hispaniarum existentibus ad quos spectat, ut te eorumdem comitiorum generalium praesidem per Nos electum revereeter suscipiant, tibique, ac religioso viro per te substituende in omnibus ad praesidis hujusmodi officium pertinentibus pareant, at obediant, tuaque, et ejusdem personae a te substitueedae salubria monita, et mandata bumiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent.

§. 3. Haec statuoms atque decernimus, non obstantibus coestitutionibus, et saactionibus apostolicis, nea aon dicti erdinis etiam juramento, confirmatione apostolica val quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caetarisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava januarii, millesimo octingentesimo trigesimo pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

LXXV. Dat. die 18. jan. 1830. Anno I.

Reintegratio tribunalis Appellationis in civitate Anconae pro causis commercialibus.

Giuseppe della S. R. C. Cardinale Albani Diacono di s. Maria in Via Lata, della Santità di Nostro Signore Papa Pio VIII. Segretario di stato.

§. 1. Per rendere più spedito, e più comodo ai negozianti nelle delegazioni di Urbino e Pesaro, e delle Marche il corso della giustizia nelle cause commerciali la Santità di Nostro Signore Pio pp. VIII. felicemente regnante si è degnata di suo moto proprio ripristinare nella città di Ancona il tribunale di Commercie in grado di appelle nei modi e forme Publicatio chirographi.

prescritte dal suo pontificio chirografo che ci ha espressamente ordinato di pubblicare qui appresso, e che dovrà avere la sua piena esecuzione incominciando dal dì 31 del prossimo mese di marzo giorno anniversario della sua esaltazione al supremo pontificato, al quale effetto si danno da noi contemporaneamente le convenienti disposizioni. Dato dalla segreteria di stato li 27 febbrajo 1830.

G. cardinale Albani.

Pius PP. VIII.

Ratio concessionis.

§. 2. Reverendissimo cardinale Nostro segretario di stato « Ricevuta la supplica, con cui il commercio di Ancona ha da Noi rispettosamente implorato che ci piaccia di ristabilire in quella città il tribunale di Appello Commerciale che vi è stato per lungo tempo, ci siamo senza ritardo applicati ad esaminarne la convenienza nella favorevole prevenzione, che le ragioni addotte, e la intercessione del cardinal vescovo, e del Nostro delegato apostolico colà residenti ne hanno ispirata.

Incomoda quae ab defectu hujus tribunalis promanabant.

§. 3. Ci è stato quindi facile l'accertarci che obbligati dall'attuale mancanza del tribunale medesimo quei che commerciano in Ancona, e nelle circostanti provincie a portare le loro cause mercantili in seconda istanza al tribunali della capitale vengono ad essere costretti o a rimanersi lungo tempo incerti sull'esito dei giudizj, e per ciò impediti dall'intraprendere nuove operazioni per mezzo dei capitali controversi, o a rinunciare ad un secondo esperimento delle loro ragioni con grave ingiuria della giustizia, ciò che avviene bene spesso allorchè non è di grande rilievo il valore posto in questione. Comprendemmo perciò quanto facilmente potrebbe la mala fede intromettersi nelle operazioni commerciali, disgustarne gli onesti negozianti, e fra questi specialmente gli stranieri, che abbandonando il traffico co' Nostri sudditi si rivolgerebbero altrove, dove potessero sperare speditezza e sicurezza nelle contrattazioni.

Exempla veterum praedecessorum super eadem materia.

§. 4. A confermarci in questo Nostro divisamento concorre in modo speciale l'esempio dei Nostri gloriosi predecessori fra quali rammentiamo con compiacenza Clemente VIII., Paulo V., Gregorio XV., Urbano VIII., Clemente XII., Benedetto XIV. e Pio VI., ciascuno de' quali promosse o rivendicò dopo qualche insorta interruzione, o migliorò la esistenza del tribunale, il cui ristabilimento ora viene implorato dal commercio di Ancona.

Excusatur factum novissimorum pontificum.

§. 5. Non ci è certamente sfuggito che i due sommi pontefici, ai quali Noi succediamo immediatamente, si allontanarono in ciò dalle traccie dei loro predecessori. Ma ci è ben noto altresì che eglino vi s'indussero per la sola ragione, che occupandosi allora del generale riordinamento di tutti i tribunali dello stato, vollero tentare, se fosse stato possibile, di dare loro un sistema più semplice, ed uniforme in ciascuna parte dello stato medesimo, rimettendo l'appello delle cause commerciali ai corrispondenti tribunali di appello delle cause civili. E tanto più crediamo che avessero essi ragione di lusingarsene, in quanto avendo resa molto più di prima spedita la processura specialmente delle cause mercantili, vi era luogo a sperare che fossero così per evitarsi i mali; che la esperienza ha però ora fatto sentire siccome una necessaria conseguenza della mancanza di un tribunale di Appello Commerciale di Ancona.

Reintegratio tribunalis.

§. 6. Compiamo dunque Noi quello che eglino stessi avrebbero operato se meno distratti da altre cure di non minore importanza avessero avuto agio di portarvi la loro attenzione, e crediamo di aggiungere una perfezione maggiore all'opera da essi ordita, commettendo a voi Nostro segretario di stato di procedere agli atti necessarj, onde abbia luogo il ristabilimento del mentovato tribunale, coordinandolo colle seguenti disposizioni.

Causae in eo pertractandae.

I. §. 7. Rimanendo in piena osservanza quanto è stabilito dall'articolo 80 del moto-proprio del 21 dicembre 1827 riguardo ai giudizi commerciali di appello in tutto il rimanente dello stato, vi sarà in Ancona un tribunale commerciale di appellazione, il quale giudicherà in seconda istanza, qualunque ne sia l'importare, tutte le cause commerciali e marittime appellate per capo e titolo sia di nullità, sia d'ingiustizia in tutta la estensione delle delegazioni di Urbino e Pesaro, Macerata o Camerino, Ancona, Fermo ed Ascoli, comprensivamente a quelle di dette cause che fossero state giudicate da qualsivoglia tribunale commerciale di prima istanza esistente in dette delegazioni.

De munere et qualitate judicum.

II. §. 8. Il tribunale medesimo sarà composto di cinque giudici, tre de' quali saranno di professione commercianti, e due giurisprudenti, tutti però con egual voto deliberativo. Vi saranno inoltre due supplenti scelti fra commercianti pei casi d'impedimento dei primi, ed essendo qualcuno dei giudici legali legittimamente impedito, il prelato delegato della provincia di Ancona, o chi ne farà le veci in sua assenza, dovrà sostituirgli un altro da scegliersi fra soggetti che s'indicano nell' articolo seguente, o se questi ancora fossero tutti impediti, fra gli altri probi ed accreditati giurisprudenti di quella città.

De supplentibus.

III. §. 9. I giudici e supplenti commerciali di appello verranno nominati e rinnovati nel modo stesso onde sono attualmente nominati e rinnovati quelli di prima istanza, e come questi eserciteranno gratuitamente le loro funzioni. I giudici giurisprudenti verranno prescelti da Noi o permanentemente, o a tempo determinato fra il pretore, i due assessori della delegazione, l'uditore vescovile, e i due pubblici professori di diritto. Essi riceveranno un emolumento che verrà desunto dalle sportule da fissarsi pei giudizj commerciali di appello. Ognuno dei giudici tanto legali che commercianti eserciterà a vicenda le funzioni di presidente per un anno. Il tribunale di appello in Ancona pronuncierà sempre in numero di cinque giudici, e commettendo ad uno dei legali che ne hanno parte la estensione delle sentenze.

De aula tribunalis.

IV. §. 10. Le pubbliche udienze si terranno nella stessa sala del tribunale di commercio di prima istanza nel locale appartenente al commercio, ma in giorni diversi l'uno dall' altro, ed in ore conciliabili colle altre funzioni dei giudici giurisprudenti.

De publicis audientiis.

V. §. 11. Le udienze ordinarie avranno luogo per una volta per settimana senza pregiudizio dei casi d' urgenza, nei quali sarà in facoltà del presidente di fissare udienze straordinarie.

De actis custodiendis.

VI. §. 12. Gli atti nei giudizj commerciali di appello si faranno avanti la stessa cancelleria del tribunale di prima istanza, finchè non si senta bisogno d' istituire due separate cancellerie.

De forma processus servanda in causis appellationis.

VII. §. 13. In conseguenza, e pel più sollecito disbrigo e minore dispendio delle parti, riguardo ai giudicati appellati dal tribunale di prima istanza di Ancona non farà bisogno per ora del trasporto degli atti, ed il tribunale di appello giudicherà sullo stesso originale processo di prima istanza senza pregiudizio delle nuove deduzioni, e produzioni. Riguardo ai giudicati degli altri tribunali dovrà effettuarsi nel modo solito il trasporto degli atti, senza del quale non sarebbe possibile di procedere a nuovo giudizio.

De praxi adhibenda.

VIII. §. 14. La procedura innanzi il ristabilito tribunale di Appello dovrà sempre essere sommaria, ed intersmente uniforme a quella che si segue attualmente innanzi il tribunale di Commercio di prima istanza.

De exceptione rei judicatae.

IX. §. 15. Confermandosi dal tribunale di Appello la sentenza di prima istanza si avrà la perfetta cosa giudicata, nè sotto alcun titolo o pretesto si farà luogo ad ulteriore decisione.

De nova appellatione in conflictu sententiarum.

X. §. 16. Essendo i due giudicati difformi, il ricorso avrà luogo innanzi alla sacra Rota nei modi e forme prescritti dall' editto 1 giugno 1821, senza che però rimanga in veruna guisa inibita la esecuzione della sentenza di appello, qualora alla medesima fosse stata apposta la clausola d' immediata esecuzione.

De causis jam in gradu appellationis contestatis.

XI. §. 17. Le cause che si trovano già introdotte nel tribunale della sacra Rota qualora siano di somma rotale cioè oltrepassino il valore di sc. 325 saranno definite dal tribunale medesimo. Le altre inferiori saranno portate in statu et terminis avanti il tribunale di Appello.

De jurisdictione tribunalis Commercii.

XII. §. 18. La giurisdizione dei tribunali di Commercio nelle materie ad essi attribuite dal regolamento 1 giugno 1821 dovendo essere esclusiva, resta espressamente vietato a qualsivoglia persona anche privilegiata, e privilegiatissima di declinare dalla medesima, come si prescriveva riguardo al consolato di Ancona.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 19. Volendo, e decretando che il presente Nostro chirografo abbia la sua piena esecuzione, ed effetto in virtù della semplice Nostra sottoscrizione, nè gli si possa mai opporre di surrezione od orrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà ed intenzione ancorchè non fossero state osservate tutte quelle solennità, e formalità che avessero ad osservarsi, e non ostante la bolla di Pio IV. Nostro predecessore de registrandis, la regola della Nostra cancelleria de jure

quaesito non tullendo, il regolamento di commercio pubblicato il primo giugno 1821, ed i moti proprj della sa. me. di Leone XII. dei 5 ottobre 1824 e dei 21 dicembre 1827, coi quali il detto regolamento fu conservato in vigore, e non ostanti qualsisieno costituzioni, ordinazioni apostoliche, statuti, leggi, consuetudini, e privilegj, ed ogni altra cosa che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendo il loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto eulla pienezza della Nostra potestà specialmente ed espressamente deroghiamo. Dal Nostro palazzo apostolico Vaticano questo di 28 gennajo 1830 del Nostro pontificato anno primo.

Pius PP. VIII.

Dat. die 28. jan. 1830. Anno I.

LXXVI.

Commutatio exactionis anni subsidii constituti pro stipendio auditorum Rotae nuntiaturae in regnu Hispaniarum, et s. Rotae Romanae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit nomine carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici, annuum subsidium, centies centena millia regalium de Vellon monetae Hispanae adaequans, ex ecclesiasticis cleri Hispani tum saecularis, tum regularis bonis quotannis percipiendum, regioque aerario applicandum, quod fel. rec. Pius pp. VII. praedecessor Noster, illorum regnorum permotus necessitate, regiisque precibus nuperrime ad sexennium permisit, certis modo, et forma in suis apostolicis annulo piscatoris die prima augusti anni millesimi octingentesimi vigesimi tertii obsignatis literis expressis, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus per fel. rec. Leonem pp. XII. decessorem Nostrum, persistentibus iisdem causis, iteratisque precibus a praefato rege catholico, ad aliud sexennium, datis apostolicis in simili forma brevis die quarta decembris anni millesimi octingentesimi vigesimi septimi literis, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus prorogatum fuisse injuncto onere dilectis filiis commissario generali cruciatae, generali collectori spoliorum, et alteri probatae integritatis viro, ecclesiastica dignitate insignito, et a majestate sua alecto vel eligendo praedicta centies centena millia regalium de Vellon exigendi eaque in aerarium deponendi confirmata, iterumque concessa potestate illa, qua praelaudatus Pius tres memoratos viros voluit donatos per suas apostolicas literas sub plumbo decimo sexto kal. maji anni millesimi octingentesimi decimi sexti, et sub annulo piscatoris die prima augusti millesimo octingentesimo vigesimo tertio datas. Praeterea, cognita a Nobis necessitate consulendi indemnitati jurium, et emolumentorum nuntii apostolici apud regem memoratum, impensis tribunalis Rotae nuntiaturae apostolicae Matriti, ejusque auditorum, aliorumque officialium, et ministrorum, nec non duorum auditorum Rotae Romanae ex natione Hispana, decenti alimento, Nos ejusdem regis votis annuentes, Nostris apostolicis in simili forma brevis die vigesima octava julii elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi noni datis literis, praecepimus ut assignatio quingentorum millium regalium de Vellon ab iis, qui ad subsidium ecclesiasticum praedictum in regnis Hispaniarum tenentur, persolvendorum, jam per fel. rec. Clementem pp. XIV. praedecessorem Nostrum, vi literarum apostolicarum in simili forma bravis die vigesima quarta augusti anni millesimi septingentesimi septuagesimi quarti, ab initio institutionis praedicti tribunalis Rotae nuntiaturae Matriti approbata in posterum perliceretur, in utilitatem nuncii apostolici, tribunalis, ejusque ministrorum, et officialium, nec non duorum auditorum Rotae Romanae ex natione Hispana prout ex Nostris literis apparet: ast cum hujusmodi quingentorum millium regalium de Vellon exactio, et in praedictas causas erogatio, modo et forma praescriptis in Nostris literis, commissa sit tantum commissario generali cruciatae subsidii, et excusati nuncupato, sivo aliis ab eo deputandis; alia vero centies centena millia regalium de Vellon, quae annuum subsidium praefatum a praedecessoribus Nostris ad sexennium concessum constituunt, exigentiae et erogationi trium praefatorum virorum, ut in praedecessorum Nostrorum literis demandata, praelaudatus rex, ad vitanda incommo-

da quae ex diversa exigentia provenire possent suppliciter a Nobis petiit, ut facultatem exigendi et erogandi summam quingentorum millium regalium de Vellon, quae soli commissario generali cruciatae per Nostras literas fuit commissa, tribus memoratis commissariis apostolicis subsidii cleri pariter concedamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ejusdem regis votis, quantum in Domino possumus benigne annuere volentes, ac omnes, quibus praesentes literae favent a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, facultatem exigendi quingenta millia regalia de Vellon praefata, eaque erogandi et distribuendi, modo et forma per Nos in memoratis apostolicis Nostris literis diei vigesimae octavae julii millesimi octingentesimi vigesimi noni praescriptis, quae commissario generali pro tempore cruciatae subsidii excusati nuncupato fuerat concessa auctoritate apostolica tenore praesentium tribus memoratis viris, nempe commissario generali cruciatae, et generali collectori spoliorum, nec non alteri probatae integritatis viro ecclesiastico, dignitate insignito, a majestate praefata electo vel eligendo, quibus durante sexennio praefato est ones alia centies centena millia regalium exigendi, et in aerarium deponendi, tribuimus, et impertimur, servata in reliquis Nostrarum literarum forma et dispositione; nuntio vero apostolico pro tempore praecipimus atque mandamus, ut quae in praesentibus aliisque Nostris literis praescripta sunt debitae executioni demandentur, et accurate serventur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis Nostris literis praefatis quibus in memorata tantum parte, durante sexennio subsidii praefati, derogamus, firmis quibuscumque aliis permanentibus, nec non quibusvis aliis constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima nona januarii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

LXXVII.

Dat. die 29. jan. 1830. Anno I.

Facultas celebrare faciendi missas quolibet die, etiam per horam ante auroram et post meridiem exclusa sabbatho sancto et feria quinta in coena Domini, in qua duae tantum, in oratorio privato regis Sardiniae nuncupato de Govone.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Eximia pietas, religio, et in Nos, et hanc sanctam Sedem observantia carissimi in Christo filii Nostri Caroli Felicis Sardiniae regis illustris promerentur sane, ut Nos spirituali consolationi suae, reginae conjugis, ejusque regiae familiae, quantum in Domino possumus consulamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis ipsius regis votis annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis porrectis permoti, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus, ut in privato suae regalis villae de Govono intra limites dioecesis Montis Regalis provinciae Pedemontanae oratorio, muro extructo, et ornato, vel extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium visitando, et approbando, quotidie etiam in solemnioribus anni festis, et hora ante auroram, atque hora post meridiem in regis, reginae ejusque regalis domus praesentia, vel de eorum licentia tot missae celebrari possint, quot eorum pietas, et religio exoptat, excluso sabbatho sancto, et excepta feria quinta in coena Domini, in qua duae tantum permittuntur missae, servato ritu illius diei, praesente tamen aliquo ex regia familia; atque nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi

tres missas illius festivitatis servata consueta rubrica et hora praescripta, nempe post mediam noctem, celebrari possint; quae quidem missae in praefato oratorio celebrandae regi, reginae, regiaeque familiae, ac omnibus cujuscumque sexus et conditionis in actu sacrificii adstantibus in praecepti satisfactionem audiendi missam diebus festis prosint quibuscumque; ac praeterea eisdem regalibus personis, eadem auctoritate concedimus, ut peracta sacramentali peccatorum suorum confessione, sacram communionem, etiam tempore paschali, non excepta feria quinta in coena Domini de consensu parochi, a sacerdote in commemorato oratorio celebrante sumere libere et licite valeant, itemque, ut ibidem dum aliquis e regia familia in villa de Govone versatur, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in cyborio asservari possit, dummodo lampas ante illud semper sit accensa et clavis ejusdem cyborii a cappellano diligenter custodiatur, salvis semper juribus parochialibus.

Concessio indulgentiarum.

§. 3. Deinde ut omnes missae in altare ejusdem oratorii, durante praesente indulto ad vitam regis, at reginae concesso, celebrandae animae seu animabus, pro qua, seu quibus offerentur, suffragentur, indulgemus; atque omnes christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti qui oratorium privatum die festo illius titolaris pie visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem consequantur. Iisdem etiam ipsis tribuimus et impertimur indulgentias tum plenarias tam partiales basilicae Principis Apostolorum hic in urbe a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris jam alias impertitas, dummodo idem sacellum vel oratorium adeuntes injuncta omnia pro illis consequendis rite adimpleant. Demum ipsi regi, reginae, regiaeque domui magis magisque gratificari cupientes eadem auctoritate Nostra singulis quibuscumque christifidelibus, qui devotionem Viae Crucis inibi quoties passionis memoriam recolendo peragerint, aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolverint, easdem indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. recordationis Innocentius XI., Innocentius XII. aliique pontifices pariter praedecessores Nostri christifidelibus praefatum exercitium in ecclesiis fratrum ordinis Minorum s. Francisci de observantia et reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus concessere, apostolica etiam auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Haec omnia concessa, atque indulta volumus, non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut alii praeter regales personas supradictas missas, ut praefertur, audire, numquam vero celebrare facere valeant. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima nona januarii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

LXXVIII.

Dat. die 5. feb. 1830. Anno I.

Communicatio privilegiorum, aliorumque jurium universitatis regni, cum reservatione activi patronatus favore regis Hispaniae pro universitate Studiorum civitatis Valentiae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Studiorum universitati Valentiae fel. rec. Sixtus V. praedecessor Noster occurrere cupiens, suis apostolicis literis sub plumbo datis tertio kalendas novembris anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, quas hic pro insertis, et expressis haberi volumus, praeter alia constituit, ejus rectorem inter dignitates vel canonicos illius metropolitanae ecclesiae a quodam consilio (vulgo aggiuntamento) ejusdem civitatis esse adlegendum. Nuper vero carissimi in Christo filii Nostri catholici regis nomine Nobis expositum est universitatis Valentinae rationes, graves ob causas, non recte procedere, se autem existimasse hisce malis optima consultum iri, si illud athenaeum aliis Hispaniae regni par

redderetur, ejusque patronatus activus regii juris evaderet. Proinde suppliciter ipsius nomine a Nobis petitum est, ut istius universitatis rectori, qui ab eo dignitates inter vel canonicos metropolitanae ecclesiae Valentiae fuerit renonciatus, ex Nostra indulgentia ac venia singula quaeque privilegia concedere velimus, proinde ac memorato consilio hujusmodi muneri praeficeretur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur catholici regis votis benigne annuentes, ac omnes quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut universitatis studiorum urbis Valentinae rector, inter dignitates vel canonicos ejus metropolitanae ecclesiae ab rege rite nominatus, iisdem utatur privilegiis, juribus, indultis quovis nomine nuncupandis quibus ex apostolicis literis Sixti V. perfrui posset, si ab consilio, uti antea nominaretur, servatis tamen iis reliquis conditionibus, quae illis literis adjectae sunt.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus atque impertimur non obstantibus praefatis apostolicis literis, itemque ejusdem universitatis, et canonicorum collegii etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta februarii millesimo octingentesimo trigesimo pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 12. feb. 1830. Anno I.

LXXIX.

Deputatio judicis privativi ad effectum componendi de bono, et aequo controversias exortas inter decanum, et canonicos collegii canonicorum sancti Michaelis in Foro urbis Lucae.

Venerabili fratri Archiepiscopo Pisarum.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectissimi in Christo filii Nostri Caroli Borbonii ragii Hispaniarum infantis, Lucae ducis, nonnullas jamdiu exortas fuisse controversias in canonicorum collegio s. Michaelis in Foro urbis Lucae decanum inter et canonicos, quas quidem dirimi summopere exoptat. Quapropter in animo haberet, ut a Nobis arbiter adlegeretur omnibus instructus facultatibus, quarum vi decretoriam sententiam posset dicere, cui et decanus et canonici teneantur acquiescere, huic vero muneri te Pisarum archiepiscopum designavit, dum alias a tuis praedecessoribus Lucense republica olim vigente, id genus quaestiones fuerunt compositae.

Ratio concessionis.

§. 2. Nos igitur vicariam illius personam gerentes, qui pacis principem se fecit, baud possumus, quin votis ejusdem ducis obsecundemus, quae eo nolce spectant, ut in ecclesiasticorum virorum amplissimo coetu, nominatione sua canonicatibus aucto, quorum ipse patronus existit germina quaeque litium succidantur, et pax servetur ac floreat: Et sane si hujusmodi cura atque sollicitudine in omnibus non nunquam urgemus, majorem profecto adhibendam esse existimamus in canonicorum collegio sancti Michaelis eidem apostolicae Sedi immediate subjecto, atque ab archiepiscopi Lucensis jurisdictione exempto ex apostolicis literis fel. rec. Leonis X. praedecessoris Nostris sub plumbo datis quarto kalendas junias anno millesimo quingentesimo decimo octavo, qui in eo erigendo collegio statuit, ejus ordinarium esse decanum, cui peculiaria privilegia, prout asseritur, concessit. Id autem eo libentius peragimus, exempla etiam rec. mem. Pii VII. pariter praedecessoris Nostri sequuti, qui flagitante eodem canonicorum collegio, privilegia Leonis X., et Clementis VIII. Romanorum pontificum confirmavit, et ad veterem splendorem dignitatemque restituit aliis apostolicis literis ipso septembris mense anno millesimo octingentesimo decimo octavo editis. Consilium inde ab eo duce susceptum in te ut arbitro proponendo, venerabilis frater, probare non dubitamus, ipse enim in difficillimis tui pastoralis ministerii partibus jamdudum obeundis prudentiam, pietatem, et justitiam prae te semper tulisti, ideoque jure merito ab omnibus commendaris. Quare persuasum plane habemus, hanc designationem haud ingratam atque injucundam spectatissimo Lucensi archie-

piscopo futuram, siquidem et ipse consilii ac prudentiae plenus aegre tulisset hac in causa judicem agere, quum ipse diu decani ejusdem collegii dignitatem sustinuerit, ac nonnullae ex iis quae nunc vigent, jam tum prodierint, controversiae, in quibus aliquomodo sententiam suam aperuit.

Tracr o-e-ctesiciis. §. 3. Ad nova igitur jurgia decanum inter et canonicorum collegium ecclesiae sancti Michaelis in Foro Lucae dispellenda, atque ad vitanda judicia, quae impensas ac strepitus ferunt, in legitimis ecclesiasticis tribunalibus intendenda motu proprio, ac certa scientia, plenaque auctoritate Nostra apostolica te, venerabilis frater in judicem privativum quo appellari neutiquam liceat, eligimus et deputamus, tibique singulas quasque necessarias, et opportunas tribuimus facultates, quibus praetermisso judiciorum ambitu, non solum obortas controversias possis componere, sed etiam in ultimo judicio illas dijudicare, una cum quaestionibus incidentibus, omnibusque aliis quae controversiis iisdem adjectae fuerint, aut ab illis pendeant. Tunm vero erit, venerabilis frater hac apostolica delegatione constitutus utramque partem audire; et scripta ab eis proferenda perpandere. Ob oculos etiam tibi pones commemoratas apostolicas literas, collegii canonicorum constitutiones, itemque sententias antea latas, quae cum praesentibus contentionibus aliquid commune possunt habere. Tuis demum decretis, scitis, jussis adversae partes parere illico debeant, neque ab iis quae decraveris nemini provocandi jus esse volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Haec statuimus atque mandamus decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere quamdiu controversiae de quibus habita est mentio diremptae, teque hisce facultatibus auctum ad earum liberum exercitium admittendum esse seu admitti debere. Quo circa omnibus, et singulis ad quos spectat per praesentes injungimus, ut in hujusmodi munere tibi demandato, ejusque partibus obeundis, tuam jurisdictionem, potestatem, auctoritatem admittant et faciant ab aliis admitti, contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendo servatis processibus censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praefati canonicorum collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die duodecima februarii millesimo octingentesimo trigesimo pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

LXXX.

Dat. die 12 feb. 1830. Anno I.

Facultas emphyteuticandi quasdam aedes positas in oppido nuncupato Costeggio dioecesis Derthonensis tributa canonicis ecclesiae collegiatae oppidi Pontecurone.

Venerabili fratri Episcopo Derthonensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis est nomine canonicorum collegii ecclesiae, quae etiam paroecia, oppidi Pontecurona istius Derthonensis dioeceseos: se praeter alia possidere quasdam aedes positas in Casteggio intra limites ejusdem dioecesis, conjugibus Perversi per annos novem, nondum expletos, locatas annua pensione libellarum septuaginta quinque monetae Pedemontanae. Quum vero ipsi cupiant conjuges ea locatione abrogata, de iisdem aedibus perpetuam emphyteusim statuere, annuumque Expositio precum.

obtulerint canonem libellarum centum quadraginta, itemque parati sint aedes reficere, aliaque onera sustinere; quumque canonicorum collegium valde utile sibi fore arbitretur hisce conditionibus contractum inire suppliciter a Nobis petitum est, ut ejus rei ergo apostolicam Nostram opem veniamque largiamur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur omnes et singulos quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, ac postquam compereris hujusmodi contractum in evidentem canonicorum collegii utilitatem cedere, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia facultatem facias, cujus ope perpetua illa empbyteusis ad lineam masculinam tantum iniri queat, pacto annuo canone libellarum centum quadraginta. Quo quidem de canone cavebis ut pendatur liber et expers omnium onerum, quaeque ordinaria sint, vel extraordinaria, et sive rebus, sive personis imposita sunt, vel imponenda, utque inter earum aedium onera praecipuum ducatur mandabis, quae pro solutione canonis trium annorum, et oneribus aliis implendis dari ab emphyteuta fidejussionem idoneam, vel canoni illi, et aliis oneribus alium praeterea fundum subjici. Insuper curabis ut fines aedium, quae in emphyteusim traduntur accurate demonstrentur in solemnibus tabulis hoc de contractu a pubblico scriba conficiendis, utque illis inseratur aedium descriptio linearis, quam plantam appellari mos est. Denique contractum munies illis omnibus conditionibus, quas acta oblationis habent, vel ex consuetudine hujusmodi contractibus addi solent.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus atque mandamus non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV super divisione materiarum ac Pauli II. aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus vero, ut quomodocumque cessante emphyteusi praefata illico emphyteuticus fundus cum adnexis rebus, ac juribus ad canonicorum collegium revertatur, eoque cedant solo per quae fundus melior fuerit effectus, quin petitio renovandae concessionis hujusmodi, si quis illam urgeat, bono juri consentanea possit haberi. Datum Romae apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die vigesima sexta februarii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

LXXXI.

Dat. die 26. feb. 1830. Anno I.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui dominica Passionis visitaverint cappellam pubblicam sub invocatione sancti Aubin oppidi Marlioz dioecesis Anneciensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Qui sane laudabilis et salutaris in pluribus christiani orbis partibus Dominicae passionis memoriam pio quodam exercitio vulgo Viae Crucis, seu Calvariae nuncupato statutis precibus, locisve usus jamdudum inoleverat, eumdem ad christianam pietatem fovendam, adaugendamque, et aeternam salutem consequendam magis aptum, facilem, atque opportunum esse reputantes, Romani pontifices praedecessores Nostri maximopere studiis omnibus adlaborarunt, ut ubique locorum poneretur, et institueretur, atque etiam, ut magis frequentaretur, spiritualibus indulgentiarum muneribus cumularunt. Cum itaque, sicut accepimus, in ecclesia, seu cappella pubblica sub invocatione sancti Aubin ad familiam dilecti filii comitis de Laprunarede, ut asseritur, spectante, sita in suo oppido di Marlioz Anneciensis dioecesis pium exercitium Viae Crucis hujusmodi, seu Calvariae erectum seu erigendum sit; Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut omnes et singulas indulgentias praefatas ad christifideles idem exercitium ibidem peragentes extendere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, ut devotio hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui praefatam devotionem Viae Crucis quoties in dicta ecclesia, seu cappella pubblica Dominicae passionis memoriam, ut praefertur, recolendo peregerint, aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolverint, easdem indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Innocentius pp. XI., Innocentius pp. XII. aliique pontifices praedecessores Nostri christifidelibus praedictum Viae Crucis exercitium ecclesiis fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia et Reformatorum nuncupatorum ubi erectum reperitur, peragentibus concesserunt, apostolica auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolica regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta februarii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 2. mar. 1830. Anno I.

LXXXII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui missiones, seu spiritualia exercitia expleverint in domo nuncupato « la Rétraite ».

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater modernus episcopus Aeduensis, quod in ecclesiis suae civitatis et dioecesis Aeduensis utriusque sexus christifideles missionibus seu spiritualibus exercitiis « la Rétraite » vulgo nuncupatis nonnullis continuis diebus cum magno animarum suarum fructu, et utilitate de ordinarii licentia quotannis vacare consueverint seu intendant: hinc est quod ut christifidelium numerus ac devotio in hujusmodi operibus peragendis accrescat, ac major in dies evadat, illos coelestium Ecclesiae thesaurorum quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus elargitione ditari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur probe aliunde scientes quantopere missiones ac exercitia hujusmodi conducant dirigendis in viam Domini et confirmandis in illa christifidelium mentibus, eorum devotionem, qui operibus adeo piis et salutaribus in posterum interfuerint spiritualibus indulgentiarum donis magis excitare volentes, supplicationibus et votis ejusdem venerabilis fratris Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus qui missionibus et exercitiis, ut praefertur, peragendis tribus saltem diebus devote interfuerint, ac interea temporis, vel si tunc dispositi minime forent, alia die etsi absolutis missionibus vel exercitiis praedictis sibi a proprio confessario praescripta vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat spatio uniuscujusque missionis vel exercitiorum: insuper eisdem omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere etiam poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, qui eam ecclesiam tum die, qua crux solemniter erigitur, tum alio die parocho loci pro ejusdem crucis adoratione respective designando devote visitaverint, et ibidem ut supra oraverint, qua die praedictorum id egerint plenariam quoque omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea eisdem omnibus et singulis supradictis saltem contritis missionibus vel exercitiis praefatis singulis vicibus adstantibus centum dies; quotiescumque vero ante dictam crucem orantibus quadraginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poeni-

tantiis in forma Ecclesia consueta relaxamus. Infirmis autem, vel qui missionibus aut exercitiis hujusmodi adesse, vel qui integrum illarum vel illorum cursum prosequi nequiverint, dummodo vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac alia pietatis opera, quae pro viribus exercere poterunt, peregerint, plenariam similiter semel dumtaxat in fine cujusque missionis vel exercitiorum, ac si eisdem interfuissent omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus, et indulgemus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 9. mar. 1830. Anno I.

LXXXIII.

Receptio sodalitatis nuncupatae divi Boni Jesu Calvarii inter illas tertii ordinis sancti Francisci de Paula, cum concessione novorum indumentorum magis insignium.

Venerabili fratri Episcopo Fluminis Januarii.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponendum Nobis curarunt dilecti filii moderatores sodalitatis rite constitutae in ecclesia divi Boni Jesu Calvarii nuncupata istius urbis, sibi optatissimum fore, adepto jam tuo consensu, eorum sodalitatem inter illas tertii ordinis sancti Francisci de Paula recenseri. Verum quum ex apostolicis literis felicis recordationis Clementis VIII. praedecessoris Nostri die septima decembris anno millesimo sexcentesimo quarto editis id fieri nequaquam liceat, siquidem eadem in urbe alia jam extat ejusdem nominis sodalitas, suppliciter ergo a Nobis petiere, ut auctoritate Nostra apostolica, hujusmodi sublato impedimento eorum votis benigna annuamus; itemque sibi facultatem faciamus super saccum et funem nigri coloris gestandi scapulare violaceum, cujus in medio sint spinea corona, ac tres clavi, emblemata cruciatuum D. N. J. C. coloris viridis, quo ab aliis antiquioribus sodalitatibus ejusdem tertii ordinis possit discerni.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur oratores peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, tibi, venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut pro tuo arbitrio facultatem facias, cujus vi, licet ista in urbe Fluminis Januarii alia jam extet sodalitas tertii ordinis sancti Francisci de Paula, tamen si nihil obstat praeterea, ac servatis iis quae servari opus est, sodalitas in ecclesia divi Boni Jesu Calvarii erecta, servato hoc priori titulo tertii ordinis sancti Francisci de Paula etiam habeatur et dicatur, ejusque privilegiis perfruatur. Insuper eadem auctoritate Nostra apostolica, tuique pariter arbitrio hisce sodalibus veniam tribuas, qua sacco, et funi nigri coloris possint superaddere scapulare violaceum spineae coronae ac trium clavorum coloris viridis emblemate distinctum.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Haec concedimus atque indulgemus decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus commemorati praedecessoris Nostri apostolicis literis, aliisque

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non sodalitiorum de quibus agitur etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, at consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda martii millesime octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 6. mar. 1830. Anno I.

LXXXIV.

Facultas emphyteuticandi nonnulla bona ecclesiae parochialis sancti Erasmi loci nuncupati Fratta dioecesis Eugubinae favore Dominici Marovelli ejusdem loci.

Venerabili fratri Episcopo Eugubino.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis curavit dilectus filius presbyter Franciscus Garbini praepositus parochialis ecclesiae sancti Erasmi loci Fratta nuncupati istius Eugubinae dioecesis, plurimum suae parochiali praebendae profuturum si quaedam bona rustica cum domibus colonorum, quae juxta peritorum judicium, summam valeris scutatorum septingentorum quinquaginta duorum et obolorum trium cum dimidio adaequant, et fructum non tamen immunem ab infortuniis scutatorum unius supra viginti, et obulorum nonaginta quatuor quotannis afferre possunt in emphyteusim ad perpetuam generationem masculinam progressuram concederentur dilecto filio Dominico Maravelli, qui pro annuo canone sexdecim heminas frumenti aptati, viginti quinque cados musti et centum libras cannabi, quae omnia praeter cannabum, pretium efficiunt scutatorum novem supra viginti, et obulorum viginti persolvere spopendit, dummodo ad hujusmodi ineundum contractum Nostra accedat facultas, quam suppliciter a Nobis expostulat.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur praefatum oratorem speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio fraternitati tuae per praesentes committimus, ut veris existentibus narratis, et constito tibi de evidenti paroeciae utilitate, petitam facultatem ineundi praefatum emphyteusis contractum ad lineam masculinam tantum in infinitum, cum annuo praefato canone, et conditionibus proficuis, hypothecato alio fundo, vel praestita idonea fidejussione tum pro canonibus trium annorum, quam pro oneribus sustinendis usque ad eorum complementum auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia impertiaris, ita tamen ut census annuus solvatur praecipuus ac liber, supportatis omnibus oneribus realibus, et personalibus per emphyteutam tam impositis quam imponendis, descriptis confinibus at inserta planta in istrumento concessionis, melioramenta vero cedant solo.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. super divisione materiarum ac Pauli II., et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Velumus autem ut finita generatione masculina praefata bona praedicta cum suis membris, juribus et pertinentiis universis, nec non melioramentis quomodolibet factis ad paroeciam praefatam pleno jure atque omnino libere revertantur, illique cedant absque eo quod renovatio concessionis hujusmodi a quoquam sub quovis praetextu, vel ex quacumque causa peti vel praetendi possit. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

LXXXV. Dat. die 25. mar. 1830. Anno I.

Allocutio habita in consistorio secreto die vigesima quinta martii millesimo octingentesimo trigesimo.

Venerabiles fratres.

Non dubitamus venerabiles fratras quin rem vobis gratissimam hodierno die facturi simus, quo die propositum Nobis est iu amplissimum ordinem vestrum cooptare illustres viros, qui suis virtutibus, suisque in Ecclesiam, et Sedem apostolicam meritis digni visi sunt, qui cardinalitia dignitate a Nobis augerentur. Et primo quidem loco nominabimus venerabilem fratrem Thomam Weld Amyclaeorum episcopum, et Regiopolitani in superiore Canadà episcopi coadjutorem. Is nobilissimo genere ortus, et primis Augliae familiis sanguine junctus patrem nactus est tanta inter caeteras quibus emiuebat dotes pia liberalitate commendatum, ut religiosos viros calamitate temporum a patriis aedibus expulsos exceperit, aluerit, amplissimamque ipsis aedem dono dederit, in qua nunc aede major nobilium, et catholicorum Angliae juvenum pars ad religionis cultum, ad bonos mores, ad omnem literarum, et scientiarum disciplinam praeclare instituitur. Nec munifica optimi genitoris charitas his se finibus continuit. Coenobium, quo religiosi Trappenses e Gallia in Angliam profecti reciperentur a solo erexit, monialium Salesianarum domum, in qua duae ipsius filiae etiamnum sanctissime vivunt, extruxit, sumptus ad divinum cultum in pluribus ecclesiis decore sustinendum necessarios effuse suppeditavit. Ingentem adeo in res sacras, et nulla unquam oblivione delendam genitoris sui largitatem ven. fr. Thomas Amyclaeorum, uti diximus, episcopus sibi aemulandam ratus, nullis unquam sumptibus pepercit, ut Catholicae religionis, qua nihil antiquius habet, incrementa, utilitates, decorem promoveret, et sublevandae, recreandaeque miserorum egestati praesto esset. His et similibus meritis insignem amplissimo ordini vestro eum adscribere libenti plane animo statuimus, ut ita universis Anglicani imperii catholicis de nupera legum pro se mitiorum promulgatione laetantibus, ob quem Nos eventum plurimas Christo Domino bonorum omnium auctori gratias persolvimus, novum impensius laetandi argumentum suppeditemus.

Una vero eum episcopo Amyclaeorum duos alios S. R. E. cardinales creare deliberavimus. Horum unus est dilectus filius Dominicus De-Simone, patritio et ipse genere, qui a prima juventute inter praesules adscitus, signaturae, ut dicitur, referendarius, mox praesulum sacrae consultae coetui adscriptus fuit. Ad varias deinde ac spectatioras ditionis pontificiae urbes gubernandas missus, ita se gessit, ut strenuitatis, vigilantiae, prudentiaeque suae documenta ubique reliquerit. Romam inde accitos militarium negotiorum tractationi, publice postmodum annonae praefectus, pontificii tandem cubiculi magister renunciatus, tot numerum cursu octo et triginta annorum spatio praeclare ac feliciter emenso, cardinalatus praemium sibi emeruisse, ipsoque jam nunc honestandus esse Nobis visus est.

Cum autem dilectus filius Raphael Mazio gravissimis muneribus et ipse perfunctus, egregiam Sedi apostolicae operam diu navaverit, eum quoque ad cardinalatus culmen evehendum existimavimus. Nam acri ingenio, et multa doctrina excellens cardinali Caprara a latere legato comes additus, expediendis negotiis sibi commissis apte semper ac sedulo incumbuit. Idem similiter praestitit quum cardinali Consalvi adjunctus, cum eo de maximis rebus apud summos principes acturo, Lutetiam Parisiorum, Londinum, Viennamque profectus est. Romam reverso pontificiarum literarum latine scribendarum officium commissum fuit. Sed cum ejus in agendis negotiis peritia ut par erat celebraretur, cardinali quoque Spina socius datus est, cum is jussu Pii VII. in Germaniam se contulit, ut conventui Laybackii habito interesset. Inde redux congregationis Consistorialis secretarius; et idem subinde officium in sacris comitiis, in quibus fel. recordationis praedecessor Noster Leo XII. ad supremum pontificatum evectus est, naviter exequutus; supremae demum Inquisitionis assessor, mercede tot laboribus pro Sede apostolica exantlatis debita se plane dignum reddidit.

Praeter hos, alios octo paribus meritis distinctos viros hodie S. R. E. cardinales creamus, quos tamen in pectore reservatos, quum e re videbitur, manifestabimus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus S. R. E. cardinales:

Presbyteros scilicet.

Thomam Weld episcopum Amyclaeum.

Raphaelem Mazio tribunalis supremae Inquisitionis assessorem.

Diaconum vero.

Dominicum De-Simone cubiculi Nostri praefectum.

Cum dispensationibus, et clausulis necessariis, et opportunis. Una vero cum his, quos nominavimus, creamus etiam alios octo S. R. E. cardinales, quos tamen in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque declarandos.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ sancti Amen.

Dat. die 23. mar. 1830. Anno I.

LXXXVI.

Confirmatio facultatum jam concessarum confessario monialium ordinis sancti Francisci de observantia loci nuncupati Albaso dioecesis Januensis absolvendi etiam a casibus sanctae Sedi reservatis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abatissa seu priorissa et moniales monasterii monialium ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum de Albaso Januensis dioecesis, quod alias ipsis per similes in forma brevis, seu alias apostolicas literas confessarium ab ordinario approbatum, qui semel in vita ab omni peccato et quovis excessu etiam apostolicae Sedi reservato absolvere, ac plenariam indulgentiam eisdem in mortis articulo coostitutis impertiri posset, eligendi facultas, ut asseritur, concessa fuerit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat eaedem moniales de actualis facultatis hujusmodi perduratione dubitent, tum aliunde probe noscant ex nova apostolica confirmatione praedictae facultatis majorem roboris firmitatem accedere, facultatem eamdem alias ipsis, ut praefertur, elargitam per Nos confirmari summopere desiderant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eisdem exponentibus specialem gratiam facere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, facultatem supradictam omnibus et singulis monialibus monasterii praedicti, aliisque in eo nunc et pro tempore degentibus, ut praefertur, impertitam, servatis tamen in reliquis praefatarum literarum apostolicarum, ut quoque asseritur, expeditarum forma et dispositione, ac omnibus inibi injunctis rite adimpletis apostolica auctoritate confirmamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 23 mar. 1830. Anno I.

LXXXVII.

Confirmatio indulgentiarum concessarum monialibus monasterii Clarissarum ordinis sancti Francisci de observantia civitatis Albaso dioecesis Januensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii monialium « Clarisse » vulgo nuncupatae ordinis minorum sancti Francisci de observantia etiam nuncupatae, de Albaso Januensis dioecesis, quod alias ipsae per similes in forma brevis, seu alias apostolicas literas plenariae indulgentiae dono certis tunc expressis, et infradicendis diebus perpetuo ditatae fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tum de hujusmodi perduratione eaedem moniales dubitent, tum aliunde probe noscant ex nova apostolica confirmatione majorem roboris firmitatem accedere, easdem omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes alias ipsis, ut praefertur, impertitas per Nos confirmari, seu de novo concedi summopere cupiunt.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eisdem exponentibus specialem gratiam facere volentes, earum supplicationibus Nobis super hoc humiliter por-

ractis inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, praefatas omnes ac singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes monialibus monasterii praedicti, aliisque in eo nunc et pro tempore degentibus praeter earum cappellam seu altare vel oratorium intra claustra dicti monasterii sitam, ecclesiam e cratibus in singulis Domini Nostri Jesu Christi, ac beatae Mariae virginis immaculatae festivitatibus, ac sanctorum duodecim apostolorum, et singulorum praedicti ordinis sancti Francisci sanctorum, ac sanctarum Clarae et Catharinae virginis et martyris, nec non dominica Palmarum, ac sex continuis diebus immediate sequentibus pie visitantibus, ut praefertur, impertitas auctoritate apostolica confirmamus, et quatenus opus sit, praescriptis tamen injunctis operibus adimpletis de novo etiam perpetuo concedimus et elargimur.

Derogatio contrariorum. § 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 23. mar. 1830. Anno I.

LXXXVIII.

Impositio pensionis annuae solvendae a mensis archiepiscopali Turritana, et episcopali Algarensi pro dotatione universitatis Turritanae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Catholicorum principum votis eo libentius hujus Sanctae Sedis suffragatur auctoritas, quo eorum sollicitudines in populorum felicitate curanda, in adolescentibus sancte utiliterque instituendis, in viris ecclesiasticis sacris disciplinis imbuendis, in studiorum universitatibus conservandis, et erigendis, aliisque religioni ac bonis artibus utilibus promovendis, majores semper videntur.

Expositio precum. § 2. Carissimus siquidem in Christo filius Noster Carolus Felix Sardiniae rex illustris, cujus studia, et curae in id potissimum tendunt, ut universitas Turritana ab egestate levata, ac certis redditibus et magistrorum copia instructa, juventuti, praesertim ecclesiasticae viam sternat sapientiae et doctrinae inter alia consilia juvandi opibus universitatem praedictam, ubi theologicae cathedrae cleri disciplinae praecipue accomodatae extant erectae, aequum opportunumque ducit mensam archiepiscopalem Turritanam, alteramque episcopalem Algarensem oneri pensionis annuae scutatorum centum monetae Sardiniensis, unicuique imponendam perpetuo esse subjiciendas, si Nostra ad id accedat facultas, quod nomine ejusdem regis a Nobis exposcitur.

§ 3. Nos autem pientissimi regis votis, quantum in Domino possumus, obsecundare cupientes, et juventuti praesertim ecclesiasticae utriusque cleri opportuna praesidia doctrinae adipiscendae parare, auctoritate apostolica vi praesentium mandamus, et constituimus, ut tum mensa archiepiscopalis Turritana, tum mensa episcopalis Algarensis, pensionem scutatorum centum monetae Sardiniensis, quam unicuique earum per praesentes imponimus perpetuis futuris temporibus universitati Turritanae libere quotannis persolvere teneantur, et ita, ut hujusmodi pensio initium habeat a biennio computando a die quo utraque sedes vacua fuit pastore; ac praeterea volumus, ut in futura earumdem ecclesiarum provisione mentio ejusdem pensionis expressa fiat, et onus hujusmodi ad archiepiscopum Turritanum et episcopum Algarensem pro tempore transeat, et mensae praedictae oneratae existant. Tenor concessionis.

§ 4. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo. Derogatio contrariorum.

LXXXIX.

Dat. die 28. mar. 1830. Anno I.

Concessio tituli marchionis favore Clinii Ferrari patricii Cieprani dioecesis Verulanae.

Dilecto filio Clinio Ferrari patricio Ceprani Verulanae dioecesis.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium. §. 1. Apostolicae beneficentiae munera in eos viros effundi decet, in quibus cum natalium splendore, morumque integritate eximia in hanc apostolicam Sedem observantia conjuncta.

Expositio precum. §. 2. Quare quum ex gravi locupletique testimonio perspectum sit Nobis, te honesto loco natum, et cum illustribus familiis sanguine conjunctum, in superioribus praesertim rerum vicibus sanctae huic Sedi impensius studuisse, quumque noverimus te amplum in agro Collesape intra limites istius Verulanae dioecesis latifundium possidere, postulaveris autem a Nobis suppliciter, ut te tuosque posteros marchionis de Collesape titulo decoremus, haud gravate inducimur tuis ut votis obsecundemus.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur peculiari beneficentia te prosequi volentes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurreris hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes auctoritate Nostra apostolica te, tuosque posteros legitimos ac naturales, dummodo in catholica religione perseverent, de Collesape marchiones dicimus atque creamus, vobisque concedimus ut hujusmodi titulo, etiam in apostolicis literis, publicisque tabulis appellemini, ac omnibus et singulis juribus, honoribus, praerogativis cum hoc titulo conjunctis uti et frui possitis, quibus alii marchiones ex juris praescripto, vel ex usu, et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt ac poterunt; non ostantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Reservatio specialis. §. 4. Volumus autem ut per hasce literas nullum commemorato latifundio inhaereat privilegium. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XC.

Dat. die 26. mar. 1830. Anno I.

Communicatio privilegiorum, at indulgentiarum concessarum fratribus tertii ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis pro confratribus sodalitatum B. M. V. Dolorosae Matriti, et in aliis Hispaniarum civitatibus canonice erectarum vel erigendarum.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Praesentissimum sane patrocinium nemo unus, qui fiduciae plenus ad Mariam confugit, non expertus est; ipsa enim mater Nostra, mater pietatis et gratiae, mater misericordiae, cui Nos tradit Christus in cruce moriturus, ut sicut ille ad patrem, ita haec apud filium interpellaret pro Nobis. Jure igitur eam variis titulis decoratam vel mysteriis expressam piorum hominum societates, et sacrae familiae germanae religionis sectatores ferventi pietate coluerunt, in ejusque tutelam, ac fidem suppliciter se receperunt: jure etiam illas inter recensendae sunt, quae Mariam perdolentem peculiari cultu venerantur. Procemium.

§. 2. Hinc summa cum animi Nostri voluptate accepimus a dilecto filio Raphaele Darnis religiosae Hispanae provinciae fratrum ordinis Servorum B. Mariae Virginis praefecto Barcinone, sodalitates a Beata Maria virgine Dolorosa nomen adeptas, juxta illius ordinis privilegia in multis Hispaniae civitatibus institutas, magnos eodem in regno progressus facere ob christianorum concursum, qui in eas referri contendunt, et praesertim Matritensem, in quam catholicus quoque rex, ejusque regia domus, ac regni magnates cooptati. Verum quum nonnulli tum Matriti, tum Toleti, tum alibi, quemadmodum ipse Raphael Nobis exposuit, minime persuasum habeant hasce sodalitates ita erectas indulgentiis, privilegiis, indultis tertii ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis perfrui posse, propterea quod hoc tertii ordinis titulo non fuerint ornatae, orator idcirco sodalitatis Matritensis nomine demissis precibus a Nobis postulavit, ut Nos ipsi apostolicis literis declarare velimus, sodalitates Beatae Mariae Virginis Dolorosae in Hispania erectas, vel erigendas iisdem perfrui indulgentiis, privilegiis, indul- Expositio precum.

tis quibus potiuntur singuli quique in tertium ordinem Servorum Beatae Mariae Virginis adscripti.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, quum Nobis innotescat sodalitates Beatae Mariae Virginis Dolorosae institutas plane fuisse, ut gentes multitudine innumerabiles, quae eidem ordini consociari exoptabant, ejus autem leges et instituta profiteri nequierant, istius sacrae familiae privilegiorum participes fierent; auctoritate Nostra apostolica per praesentes decernimus, et declaramus, ut sodalitates, seu confraternitates, seu congregationes B. Mariae Virginis Dolorosae tam Matriti quam Toleti, aliisque Hispaniae locis a moderatoribus ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis rite erectae vel erigendae, tametsi tertii illius ordinis titulo careant perfruantur, et in posterum perfrui etiam possint omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis, indultis quibus primarius ac tertius commemoratus ordo perfruitur.

Derogatio contrariorum. §. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 30. mart. 1830. Anno I.

XCI.

Erectio duarum praebendarum residentialium in ecclesia collegiata oppidi Colorni dioecesis Parmensis facta ex bonis duorum simplicium beneficiorum suppressorum.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Psalmos sacrosque hymnos in templis Deo dicatis ecclesiastici viri in coetum cooptati certis statisque diebus et horis pie religioseque modulantes, non modo obsequium Deo praestant ac tribuunt, verum etiam christianorum animos pietate excolunt; in psalmodia enim, ut habet sanctus Bernardus, duplex confessio, peccator de culpis compungitur, et Deo laudes super judicia suae justitiae dicuntur. Jam vero, ubi exiguo eorum numero, hujusmodi utilitatem haud plene obvenire conspicimus, Nostrum est, qui ex apostolatus officio divini cultus, salutisque hominum studio flagrare debemus ea afferre remedia, quae magis opportuna in Domino existimamus.

Expositio precum. §. 2. Expositum Nobis est a dilectis filiis moderatoribus sodalitatis sanctissimi Eucharistiae sacramenti in parochiali, et collegiata ecclesia oppidi Colorni Parmensis dioeceseos rite constitutae, illud canonicorum collegium tredecim constare canonicis, quos inter praepositus, atque ad majorem Dei cultum in more esse, quatuor habere presbyteros amovibiles, quos dicunt praebendarios, qui alternis vicibus, duo in qualibet hebdomada, cantorum munere perfunguntur, et choro, aliisque ecclesiasticis functionibus intersunt; eorum vero stipendia adeo tenuia, ut saepenumero alteruter desit. Additum praeterea fuit, eorum sodalitatem jurepatronatus pollere in duo simplicia beneficia eadem in ecclesia erecta, alterum a Maria perdolente, alterum vero ab Exaltatione sanctae Crucis nomen adeptum, ea tamen lege ut illis instrui tantummodo possint, qui in oppido Colorno progeniti sint. Optatissimum autem tum commemorato canonicorum collegio, tum oratoribus futurum eadem duo beneficia, illud nempe Mariae perdolentis, quod rectore nunc vacat, itemque aliud, quum primum rectore caruerit, residentiae obnoxia omnino reddi, eorumque rectores etiam alibi progenitos, oneri subjici collegiali ecclesiae inserviendi. Suppliciter ergo a Nobis ipsi sodalitatis moderatores petiere, ut, derogata testatoris voluntate, id auctoritatis Nostrae praesidio peragatur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur omnes, et singulos, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, quo Dei gloriae et honori majoribus praesertim in templis, quantum ratio temporum patitur, consulatur, motu-proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine statuimus atque decernimus, ut beneficium simplex Mariae perdolentis, in parochiali et collegiata ecclesia oppidi Colorni Parmensis dioeceseos erectum, quod vacat in praesens, jam nunc, aliud autem, cui titulus Exaltationis sanctae Crucis, eadem in

ecclesiae constitutum, vix dum rectore caruerit residentiae obnoxium illico evadat. Volumus praeterea ut non obstante fundationis lege, eadem beneficia illis etiam conferri possint, qui ex oppido Colorno originem nequaquam ducant. Qui vero hisce beneficiis fuerint ornati onera missarum illis jam inhaerentia, in posterum quoque, absque ulla imminutione explere debebunt, atque insuper per hebdomadas alternis vicibus, uti choristae, choro interesse juxta leges et consuetudinem canonicorum collegii et chori praefecto parere. Ad haec in solemnibus missis uti diaconus, et subdiaconus inservient, itemque assistent functionibus, quibus sanctissimo Eucharistiae sacramento populo benedicitur et sacris supplicationibus cum canonicorum collegio intererunt. Missas quoque celebrent cum cantu alternis hebdomadis, quoties canonicis placuerit, missas scilicet tam conventuales, quam alias, quae feriis quadragesimalis jejunii vigiliis, et quatuor anni temporibus ab Ecclesia praescriptis solent celebrari, pro quibus tamen eleemosyna danda illis erit manuali major, episcopi arbitrio praefinienda.

Conditiones adjectae.

§. 4. Ipsis autem, quum ad canonicorum collegium nunc maxime pertineant, concedimus et indulgemus, ut superpelliceo et almutia possint ornari, easque vestes deferre omnino debebunt in choro, aliisque canonicorum collegii functionibus. Indicimus tamen ut singulis quibuscumque canonicorum, honoribus, privilegiis atque indultis minime perfruantur, neque locum in conventibus habeant; voce denique careant nec solum activa, sed etiam passiva. Caeterum ipsis indulgemus, ut quolibet anno per mensem ab ecclesia possint abesse. Itaque quum nova onera, et sane gravia illis incumbant eadem auctoritate Nostra praecipimus atque jubemus, ut praeter beneficii fructus, proventus, reditus, quos libere ac licite percipient commemoratae ecclesiae canonicorum collegium unicuique ipsorum persolvat besem, seu binas ex tribus partibus eorum proventuum, qui distributiones quotidianae chorales nuncupantur, ad quemque canonicorum pertinentium; ex emolumentis vero, quae incerta parochialia dici solent, quilibet eorum aequam, ut singuli canonici, portionem percipiet.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Haec concedimus atque mandamus, decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, etiam ex eo quod canonici, aliique ad quos spectat, non fuerint auditi, vel minime consenserint, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et eorum causa quae expressa sunt, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legis fundationis cujuslibet ex praefatis beneficiis, itemque commemoratae parochialis, et collegiatae ecclesiae, ac sodalitatis sanctissimi Sacramenti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Per has autem literas patronatus juri, quod in utrumque beneficium praefertur, approbationem Nostram nequaquam adjungimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XCII.

Dat. die 30. mar. 1830. Anno I.

Approbatio aggregationis pagorum Argovien-

sis, et Turgoviensis in Basileensem dioecesim facta a nuntio apostolico.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. De animarum salute pro tradita Nobis Ecclesiae universae procuratione impense solliciti, apostolicae auctoritatis placita eo libenter intendimus, uti aptiora iisdem juvandis commoda parari dignoscamus.

Expositio precum. §. 2. Hoc Nos animo benevolo accepimus, quae pro pagorum Argoviensis, et Turgoviensis in Basileensem dioecesim adgregatione conciliandа acta sunt a venerabili fratre Petro archiepiscopo Tharsensi Nostro apud Helvetios nuncio cum nobilibus viris, quibus ab eorumdem pagorum consiliis id negocii fuerat commissum.

Tenor concessionis. §. 3. Cuncta itaque re accurate perpensa, spirituali catholici populi ibidem degentis regimini salubriter consulere discupientes ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, incolas, remque omnem catholicam territorii pagi Argoviensis tum illius, quod a Constantiensi dioecesi fuit sejunctum, tum illius, quod veteri Basileensi ecclesiae olim suberat, nec non incolas, remque omnem catholicam pagi Turgoviensis, qui pariter a Constantiensi dioecesi fuit abstractus, dioecesi Basileensis episcopatus recens constitutae per apostolicas literas fel. rec. Leonis pp. XII. praedecessoris Nostri de nova illius dioecesis circumscriptione nonis maji anni millesimi octingentesimi vigesimi octavi editas perpetuo attribuimus, et assignamus. Tres vero canonicos ex pago Argoviensi in cathedralis sanctorum Ursi et Victoris ecclesiae Soloduri extantis, unum scilicet residentialem, et duos non residentes Forenses nuncupatos, et unum insuper Forensem ex pago Turgoviensi adsciscі volumus, iisdem plane legibus, ac conditionibus, quae pro Bernensis pagi canonicis per memoratas apostolicas literas sunt praefinitae, quas idcirco omnes in Argoviensis, et Turgoviensis pagorum canonicis eligendis sancitas tenore praesentium, et adprobatas edicimus.

Conditiones adjectae. §. 4. Hinc id in primis in iis promovendis cautum volumus, ut ipsi nedum natale solum, et domicilium sint nacti iis in pagis, pro quibus sunt canonicatum adepturi, sed insuper qualitatibus polleant jure canonum designatis, vel saltem in rei sacrae procuratione utilem ibidem operam navaverint. Quo circa in cathedrali capitulo jam ad normam memoratae bullae constituto adjicientur quatuor canonici, unus scilicet residentialis, et duo non residentiales, seu Forenses pro pago Argoviensi, et unus pariter non residentialis, seu Forensis pro pago Turgoviensi; quatuor hi canonici episcopalis senatus partem constituent, et utraque voce in capitulo, ac jure antistitis eligendi potientur; adeoque universum capitulum uno, et viginti canonicis constabit, quorum tredecim ex ordine residentialium, octo autem non residentiales erunt, seu Forenses nuncupati. Jubemus porro, et mandamus, ut ambo illi pagi Argoviensis, et Turgoviensis omnibus fruantur juribus, et favoribus generatim, et communiter in pagus Lucernensem, Bernensem, Solodurensem, et Zongensem per easdem apostolicas literas delatis, nec non ut iisdem oneribus, et obligationibus adstringantur, quibus memorati pagi per ipsas literas fuerunt subjecti.

Deputatio executoris apostolici. §. 5. Ut vero harum dispositionum, quas in summum animarum bonum cessuras fore confidimus, executio adproperatur, easdem exequendas committimus dilecto filio Michaeli Viale, qui pro nuncio apostolico apud Helvetios Nostra, et apostolicae hujus Sedis negotia in praesens gerit, omnesque eidem facultates necessarias, et opportunas largimur, ut per se, vel per aliam personam saltem in ecclesiastica dignitate constitutam mandata haec Nostra exequi curet, eaque decernat, quae in hanc causam expedire magis in Domino censuerit.

Praeceptum de remittendis actis ad s. congregationem Consistorialem et derogatio contrariorum. §. 6. Volumus etiam, ut executorialia acta, et decreta ad congregationem Consistorialem mittat ibidem adservanda: non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque licet expressa, specifica, et individua mentione dignis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque

efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plane, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno primo.

ANNO SECUNDO

Dat. die 2. apr. 1830. Anno II.

XCIII.

Unio duorum simplicium beneficiorum, alterum sub invocatione Beatae Mariae Virginis, alterum sancti Michaelis Archangeli erectorum in ecclesia parochiali sancti Michaelis Archangeli civitatis Volaterrarum, cum imminutione onerum eisdem annexorum.

Venerabili fratri Josepho Cajetano Episcopo Volaterrano.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Parochialis ecclesia sancti Michaelis Archangeli istius urbis Volaterrarum, quemadmodum Nobis exponendum curasti, praeter alia duo simplicia possidet beneficia regii juris patronatus, alterum a Maria virgine nomen adeptum, ex quo percipiuntur quotannis librae circiter quinquaginta septem monetae Etruscae, quae obveniunt a canone cujusdam domus, oneri unius sacrificii in singulos menses obnoxium praeter vectigal seminario pendendum; alterum vero sancti Michaelis Archangeli, annui fructus nummorum scutatorum circiter viginti ejusdem monetae, qui proficiscuntur ex quibusdam censibus, ac paucis praediis, cujus rector oneri subjicitur peragendi tria sacrificia alternis hebdomadis, quorum unum die dominico: sacrificia sex pro quolibet anno totidem diebus festis in illis hebdomadis, quibus tria commemorata sacra a rectore facienda sunt: itemque celebrandi festum sancti Michaelis die octava mensis maji, quinque peractis sacrificiis, et post idem festum quatuor piacularia sacra pro defunctis applicandi. Ipse praeterea rector persolvere tenetur ecclesiae sancti Augustini certam olei mensuram, ibique peragere, seu peragenda curare viginti tria sacrificia diversis diebus festis; nec non solvere illius ecclesiae sacrario binas libras, ac seminario vectigal. Quum autem utriusque beneficii redditus valde sint tenues suppliciter a Nobis postulasti, ut eadem ipsa beneficia in unum tantummodo jungere velimus, imminuto etiam missarum numero.

§. 2. Nos igitur preces tuas Nobis oblatas benigne excipere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, quoniam Nobis significaveris, dilectissimum in Christo filium Nostrum Leopoldum II. magnum Etruriae ducem, eorum patronum id assentiri, tibi, venerabilis frater, facultatem facimus, cujus vi tum beneficium Mariae virginis, tum aliud sancti Michaelis, de quibus habita est mentio, auctoritate Nostra apostolica perpetuo unias ac jungas, jubeasque in unum coalescere, unde patrimonium magis idoneum constituatur clerico ad sacros ordines promovendo. Missarum autem onera, ut ei leviora fiant, utque ex hujusmodi beneficii redditibus plus emolumenti ferat, eadem au- Tenor concessionis.

ctoritate Nostra sacrificiorum numerum, quae juxta iodictam a fundatione legem fieri plura deberent, pro tuo arbitrio ad minorem numerum redigas.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Haec concedimus atque praecipimus decernentes has iiteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et memoratae perpetuae unionis causa hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, et fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus et praedictarum ecclesiarum sancti Michaelis, et sancti Augustini, nec non beneficiorum, de quibus agitur, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Per has autem literas patronatus juri, quod praefertur, approbationem Nostram nequaquam adjungimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda aprilis millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

XCIV.

Dat. die 2. aprilis 1830. Anno II.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesiam sancti Stephani loci nuncupati sancti Stephani dioecesis Bobiensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit, quod alias omnes et singuli utriusque sexus christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, parochialem ecclesiam sancti Stephani loci etiam sancti Stephani nuncupati Bobiensis dioecesis dominica quinquagesimae, ac duobus continuis diebus immediate sequentibus singulis annis devote visitantes plenariae indulgentiae thesauro per apostolicas literas fel. rec. Pii pp. VI. praedecessoris Nostri sub die vigesima tertia mensis junii anni Domini millesimi septingentesimi octuagesimi in forma brevis desuper expeditas elargitione perpetuo ditati fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, iidem christifideles nonnullis tum expressis rationabilibus de causis, ac praesertim viarum difficultate hyemali tempore ad praefatam ecclesiam non absque detrimento ac magno incommodo dictis diebus se conferre possint, Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, ut eorumdem christifidelium commodo et utilitati, ac etiam animarum saluti consultum sit, hujusmodi supplicationibus inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi: omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, aliasque spirituales gratias, et privilegia quibus utriusque sexus christifideles parochialem ecclesiam sancti Stephani loci praedicti dominica quinquagesimae, ac duobus continuis diebus immediate sequentibus visitantes, ut praefertur, locupletati fuerunt, de dominica ac diebus hujusmodi ad alios tres dies, nimirum ad dominicam Pentecostes ac duos continuos dies immediate sequentes, servatis tamen in reliquis praefatarum apostolicarum literarum forma et dispositione, nec non omnibus inibi injunctis rite adimpletis, auctoritate apostolica tenore praesentium transferimus et transiatas declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda aprilis millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

XCV.

Dat. die 6. aprilis 1830. Anno II.

Deputatio commissarii apostolici pro explenda visitatione, et reformatione fratrum ordinis Eremitarum sancti Augustini.

Dilecto filio Thomae Antolini Vicario generali ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Inter pastorales sollicitudines Nostras non exiguum ea tenet locum, quae regulares respicit ordines; Nobis siquidem summopere cordi est, ut per tuae circumspectionis ministerium, fratrum ordinis Eremitarum sancti Augustini, cui tu praees titulo, et auctoritate vicarii generalis, status salubriter dirigatur, et ad debitae reformationis normam in spiritualibus et temporalibus reducatur, ac omnia ita disponas, ut omnipotentis Dei gloria, animarum salus, ac religionis incrementum ubique appareant.

Tenor concessionis. §. 2. Ut igitur demandatum tibi auctoritate Nostra apostolica vicarii generalis dicti ordinis officium valeas utilius exercere, Nos motu proprio, et ex certa scientia, te, de cujus integritate, doctrina, rectitudine, prudentia, dexteritate et experientia specialem in Domino fiduciam habemus in omnibus provinciis dicti ordinis tibi, ratione praefati vicarii generalis officii subjectis, ubi fratres ejusdem ordinis sunt, Nostrum et apostolicae Sedis commissarium cum plena, libera, et omnimoda potestate, facultate, et auctoritate commissarii apostolici in praefatis provinciis dicti ordinis auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus et deputamus. Nos enim tibi, durante tui vicariatus officii tempore facultates visitandi dicti ordinis provincias, regulares domos, loca, eorumque personas, tam in capitibus, quam in membris, ac etiam in spiritualibus et temporalibus, quoties tibi videbitur, et placuerit, et super his, quae inquirenda fuerint, inquirendi, et in iis quae reformatione noveris indigere, prout necessarium fuerit, juxta canonicas sanctiones, et regularia ipsius ordinis instituta, et sacri concilii Tridentini decreta, reformandi, corrigendi, et emendandi, ac ad rectitudinis tramitem reducendi, et ubique inter religiosos ejusdem ordinis discordias, differentias, et lites quascumque decidendi, et terminandi, ac eosdem religiosos ad pacem et concordiam reducendi, ac personas dicti ordinis, etiamsi praesidentes fuerint, si dissidiosae, scandalosae, vel alias criminosae existant, juxta regularia ipsius ordinis instituta, et poenis tuo arbitrio imponendis, ut a malis inceptis desistant, monendi, et requirendi, seu moneri, et requiri faciendi; et si, spretis monitionibus hujusmodi, incorrigibiles fuerint, elapsis terminis per te, vel subdelegatum tuum statutis, eosdem tamquam membra putrida ab eodem ordine per te, vel per alium expellendi, et abjiciendi, nec non quae in praemissis decreveris firmiter observari, ac omnia et singula alia, quae juxta instituta, et consuetudinem ordinis hujusmodi ad omnipotentis Dei gloriam, religionis augmentum, animarum salutem, et christifidelium bonum exemplum, et alia circa salubre regimen, et felicem successum domorum, locorum, et personarum, necessaria noveris, seu quomodolibet opportuna faciendi, statuendi, exequendi, et disponendi, ac ordinandi, nec non contradictores quoslibet, et rebelles cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae, nobilitatis, excellentiae, vel conditionis fuerint, per excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ac depositionis ab eorum officiis, aliasque formidabiliores, quibus tibi videbitur expedire, sententias, censuras, et poenas, sublato diffugii, et appellationis obstaculo, etiam auctoritate apostolica compescendi, et si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi, plenam et liberam auctoritate Nostra praefata facultatem concedimus per praesentes, tibique pariter permittimus, ut pro assistentibus convisitatoribus ab urbe perducendis, alios in actu visitationis idoneos, et tibi benevisos assumere valeas, retento tamen semper apud te secretario ordinis.

§. 3. Et ut reformatio hujusmodi juxta sincerum cordis Nostri desiderium liberius subsequatur, omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum ordinariis, et praelatis ecclesiasticis, ac personis in dignitate ecclesiastica constitutis, Nostrisque et apostolicae Sedis nuntiis districte mandamus, quatenus divinae majestatis intuitu, ac pro eorum in hanc sanctam Sedem reverentia, ac devotione, ac religionis zelo, te benigno desiderio, ac pio affectu sic sincere commendatum suscipiant, et alias Praeceptum de parendo.

benevolis favoribus efficaciter assistant, ut praesentes debitum effectum sortiantur, et ordo ipse in statu prospero, et felici successu valeat inibi salubriter conservari. Praecipimus autem in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae, ac suspensionis a divinis, nec non privationis omnium, et singulorum privilegiorum, et indultorum, tam in provinciis, quam congregationibus praedictis, a Sede praefata concessorum, etiam maris magni nuncupatorum, ac absolutionis omnium officiorum, nec non inhabilitatis ad illa, et alia in dicto ordine obtinenda, sententiis, censuris, et poenis per singulos non parentes incurrendis omnibus, et singulis dicti ordinis professoribus cujuscumque gradus aut conditionis extiterint, tam conjunctim, quam divisim ut tibi ultra obedientiam, quam jure ipsius vicariatus generalis officii exhibere tenentur, etiam tamquam commissario Nostro efficaciter pareant, et intendant.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis et cujuscumque provinciae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 27. aprilis 1830. Anno II.

XCVI.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo s. Mathaei visitaverint ecclesiam collegiatam Beatae Mariae Virginis immaculatae dioecesis Piocensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater modernus episcopus coadjutor et administrator Piocensis dioecesis, quod alias ecclesiae collegiatae sub titulo Annunciationis Beatae Mariae Virginis immaculatae dictae Piocensis dioecesis indulgentia plenaria ab omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis die festo s. Mathaei praefatam ecclesiam visitantibus lucrifaciendam per similes in forma brevis seu alias apostolicas literas ab apostolica Sede impertita fuit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ob festorum diminutionem praefati christifideles spirituali hujusmodi dono dicta die orbati remaneant, Nobis humiliter supplicari fecit exponens praedictus, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ejusdem exponentis votis quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae in praefata collegiata ecclesia dictae Piocensis dioecesis ab omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus die festo s. Mathaei antea lucrabantur, de die hujusmodi ad dominicam immediate sequentem servatis tamen praefatarum literarum apostolicarum forma et dispositione, nec non omnibus inibi injunctis rite adimpletis auctoritate apostolica tenore praesentium transferimus et translatas declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima aprilis millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 4 maji 1830. Anno II.

XCVII.

Concessio indumentorum magis insignium facta archipresbyteris collegii canonicorum collegiatae s. Simeonis oppidi Albeto dioecesis Soranae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. §. 1. Sacrorum insignium additamenta petentibus aliquando morem gerimus, ea sane de causa ut conspicuis in templis splendidior sit Dei cultus, atque oratores externa decora adepti solliciti curent internis virtutibus enitere, ac ad laudes ipsi Deo persolvendas, aliaque ministeria accurate obeunda, admoto veluti stimulo, excitentur.

Expositio precum. §. 2. Expositum Nobis nuper est a dilecto filio presbytero Jacobo Castrucci archipresbytero canonicorum collegii a s. Simeone nomen adepti in oppido Albeto Soranae dioecesis, illud vetustate insigne animarum curam habitualem habere, ejusque caput, ac primam dignitatem esse archipresbyteram, qui praeter alia privilegia facultate pollet deferendi stolam cum tunica violacea, et cappa magna, atque universo clero Albetano praeest. Ut vero hujusmodi dignitas, magis magisque eniteat, suppliciter a Nobis petiit orator, ut qui ea sint instructi, majoribus etiam insigniis decorentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, acceptoque episcopi Sorani testimonio, ex quo Nobis innotuit res ita se habere, prout expositae, ipsumque Jacobum Castrucci juris utriusque doctorem de Romana Ecclesia optime meritum, ejusque successores dignos censeri, qui a Nobis hoc privilegio donentur, ejusdem quoque episcopi precibus, quas idcirco adjungit, benigna annuentes, auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut posthac archipresbyteri istius Albetani canonicorum collegii, praeter insignia, quibus jam perfruuntur, alia etiam ad instar abbatum deferre libere ac licite possint, servata forma decreti fel. rec. Pii pp. VII. praedecessoris Nostri quarto nonas julii anno millesimo octingentesimo vigesimo tertio editi.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Haec concedimus atque mandamus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit ejusdem canonicorum collegii etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta maji millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 7. maji 1830. Anno II.

XCVIII.

Transmissio rosae aureae, concessae ecclesiae cathedrali Cingulanae, cum concessione indulgentiae assequendae ab iis, qui occasione festi celebrandi eamdem ecclesiam visitaverint.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Paternae charitatis affectus, quo cathedralem ecclesiam Cingulanam prosequimur, in qua sacro fuimus baptismate abluti, atque in minoribus constituti praepositi munere functi sumus, Nos compellit, ut majora adhuc grati in eam animi monumenta conferamus, quae ad majorem ejusdem splendorem, nec non ad divini cultus incrementum pertinere dignoscantur.

Tenor concessionis. §. 2. Motu itaque proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine eidem cathedrali templo rosam ex auro conflatam atque ex Romanorum pontificum instituto, quarta quadragesimae dominica, cum ad laetitiam, et exultationem vocamur, a Nobis benedictam, tenore praesentium donamus ac tribuimus. Quae vero in solemni benedictionis rosae ejusdem caeremonia a Deo supplices postulavimus, ut nimirum peccata dimittat, adversa destruat, prospera cuncta concedat, ea iterum impensissimo, humilique cordis studio a misericordiarum patre efflagitamus, ut dilectis filiis capitulo et canonicis, clero, ordinibusque universis, ac toti populo Ciugulano cumulata impertiatur. Ut autem sacrum hoc mūnus cum honore, uti par est, suscipiatur, volumus illud dari eidem ecclesiae per venerabilem fratrem Philippum episcopum Ripanum nuper illius ecclesiae ea nomine, prope diem Ciugulum accessurum.

Concessio indulgentiae. §. 3. Cum vero ibidem sacrum solemne ea de causa sit peragendum omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui peccata sua confessi, ac sacra communione refecti, vel eidem sacro adstiterint, vel illa die ecclesiam ipsam visitaverint, ibique pro Sanctae Ecclesiae bono pias ad Deum preces effuderint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, et Nostra auctoritate confisi indulgentiam plenariam misericorditer in Domino elargimur: non obstantibus in contrarium quibuscumque facientibus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima maji millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 20. maji 1830. Anno II.

IC.

Acceptatio renunciationis amissae ab episcopo Elvensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis. §. 1. Accepimus authenticum monumentum, ex quo intelligimus, te sponte ac libere dimittere in manibus Nostris Elvensem episcopatum. Nos igitur abdicationem suam recipimus, et comprobamus, teque vinculo quo eidem Ecclesiae tenebaris, et eo onere apostolica auctoritate solvimus, quod a te sponte deponitur. Illud tamen a te requirimus, ut Elvensem gregem etiam ab eo sejunctus, tuis tamen ad Deum precibus, tuisque studiis juvare perpetuo velis; quod te sedulo facturum pro tua pietate minimo dubitamus. Apostolicam interim benedictionem tibi venerabilis frater, peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima maji millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 22. maji 1830. Anno II.

C.

Concessio indomentorum magis insignium pro canonicis ecclesiae cathedralis Regiensis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum indulgentia pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis persolvunt, ut externa decora praeseferentes magis illi conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra ministeria accurate implenda benignitatis etiam apostolicae incitamento impellantur.

Expositio precum. §. 2. Expositum est Nobis nomine canonicorum collegii cathedralis ecclesiae Regii Lepidi seu Regiensis, se duobus continentibus septennis ex fel. rec. Pii VII. praedecessoris Nostri concessione privilegio usos fuisse loco cappae magnae gestandi pro festis diebus mozzetam violaceam laneam hyberno tempore, sericam aestivo. Verum quum praefinitum extremo indulto tempus jam effluxerit, a Nobis autem suppliciter petierint, ut idem ipsum privilegium perpetuo concedere vellemus, haud gravate inducimur eorum ut votis obsecundemus.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur oratores peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas

forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, accepto venerabilis fratris Philippi istius ecclesiae episcopi testimonio, qui oratores plane dignos hujusmodi honoribus arbitratur, auctoritate Nostra apostolica concedimus ac indulgemus, ut canonicorum collegium istius cathedralis ecclesiae Regiensis in posterum loco cappae magnae pro festis diebus mozzetam violaceam laneam hyeme, sericam vero aestate in choro, in processionibus, aliisque functionibus et actibus publicis capitularibus quibuscumque gestare libere ac licite possint et valeant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Haec concedimus atque sancimus, decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. pariter praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit ejusdem episcopalis ecclesiae et collegii canonicorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta maji millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 25. maji 1830. Anno II.

CI.

Concessio indulgentiarum assequendarum ab iis, qui visitaverint ecclesiam monialium Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi ordinis s. Augustini dioecesis Valentinensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Bartholomaeus Ludovicus Enfantus presbyter Valentinensis dioecesis, ac missionarius in Gallia quemadmodum per apostolicas literas sub die octava mensis augusti anni millesimi octingentesimi vigesimi sexti per similes in forma brevis desuper expeditas moniales ordinis s. Augustini sorores Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et filiae sacri Cordis Jesu nuncupatae in singulis ac respectivis monasteriis provinciae, ac dioecesis Valentinensis degentes, nonnullas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, favore etiam utriusque sexus christifidelium earum ecclesiam visitantium certis statutis diebus, ac nonnullis christianae pietatis injunctis operibus perpetuo obtinuerunt, prout in dictis literis, quarum tenores praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Ut vero spirituali progressui aliorum monasteriorum, seu piarum domorum ejusdem instituti quae in universa Gallia actu extant, vel in posterum canonice erigentur, et quorum caput est monasterium civitatis Valentinensis provideatur, atque animabus utriusque sexus christifidelium ad respectivas ecclesias adventantium melius consultum sit, idem exponens humillime iterum flavit ad hoc, ut secundo dictis monasteriis erectis seu erigendis etiam favore utriusque sexus christifidelium singulas respectivas ecclesias visitantium communicationem indulgentiarum primodictis monasteriis, ut supra, impertitarum apostolica auctoritate concedere velle dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur specialem gratiam facere volentes, supplicationibus hisce inclinati, de que omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus et singulis monasteriis seu piis domibus monialium ordinis sancti Augustini sororum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et filiarum sacri Cordis Jesu nuncupatarum universae Galliae, quorum caput est monasterium ejusdem instituti civitatis Valentinensis, nec non omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus respectivas ecclesias diebus in praefatis literis apostolicis statutis visitantibus, dummodo tamen moniales et christifideles ut supra pietatis opera pro illis assequendis adimpleant, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes monasteriis ejusdem instituti civitatis et dioecesis Valentinensis

concessas praedicta apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta maji millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 26. maji 1830. Anno II.

CII.

Electio Superiorum majorum ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de observantia familiae Cismontanae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. §. 1. Catholicae Ecclesiae cui divino disponente consilio, licet immerentes, praesidemus, electam illam portionem, quae regulares ordines complectitur paterno ac sollicito studio respicientes, quidquid ad salubre illius regimen, spiritualemque profectum conducere valet, prompto libentique animo praecipere curamus.

Expositio precum, et tenor electionis. §. 2. Quum itaque minister generalis ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum ex Hispana familia sit hac vice assumendus, riteque eligendus, vicarius vero generalis Cismontanae familiae ejusdem ordinis una pariter dandus, neque ob temporum rerumque circumstantias ea servari adamussim possint, quae circa hujusmodi vicarii electionem sancita sunt, Nos ejusdem Cismontanae familiae necessitati consulere volentes, et prae oculis habentes notissimam constitutionem « *Inter graviores* » fel. rec. Pii pp. VII. praedecessoris Nostri die decima quinta maii millesimo octingentesimo quarto datam, adhibitis in consilium patribus vocalibus ejusdem familiae per schedulam privatam ad venerabilem fratrem Nostrum Petrum Franciscum episcopum Albanensem S. R. E. cardinalem Gallaffi nuncupatum ejusdem ordinis protectorem, de mandato Nostro transmissam, unde personae magis idoneae ad praedictum, aliaque majora officia explenda dignoscerentur, omnibus mature perpensis, referente memorato cardinali protectore, ac de infrascriptorum ipsius ordinis professorum fide, prudentia, doctrina et religionis zelo plurimum in Domino confisi, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motuproprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine dilectissimum filium Ferdinandum a sancto Bartholomaeo minorem strictioris observantiae provinciae sancti Angeli in Apulia lectorem theologum emeritum, ex-secretarium generalem et procuratorem generalem Reformatorum in vicarium generalem Cismontanae familiae ad triennium tantum, cum quo pro hac vice tantum dispensamus ne a ministro generali confirmationem, et facultates petat; dilectos vero filios Clementinum Cini a Florentia lectorem theologum jubilatum, et ex-definitorem provinciae Hetruriae in commissarium generalem curiae; Thomam a Treja lectorem theologum ex-secretarium generalem et ex-ministrum provinciae minorum Reformatorum Piceni in procuratorem generalem Reformatorum; Franciscum Antonium a Bononia lectorem theologum, ex-custodem, et hodiernum ministrum provinciae Bononiensis; Joannem a Montecorvino lectorem theologum, ex-ministrum provincialem, et hodiernum commissarium provinciae principatus Citerioris, Josephum Mariam ab Alexandria lectorem jubilatum, et ex-ministrum provinciae vallis Mazarae Siciliae, Paulum Henricum a Valgrana lectorem jubilatum, et hodiernum ministrum provinciae sancti Thomae Pedemontii; Constantinum a Roma lectorem jubilatum, ex-definitorem, et explanatorem sacrae scripturae;

Pium Czarnotta ministrum provincialem Poloniae Minoris in definitores generales ex observantibus; Franciscum Mariam a Montefortino theologum et secundo ministrum provinciae Campaniae; Thomam a Montasola lectorem theologum, custodem montis Syon et Terrae Sanctae; Hieronymum Bystry lectorem emeritum et primum patrem provinciae Poloniae Majoris, in definitores generales ex Reformatis ad proximum sexennium tantum cum omnibus et singulis respectivis juribus, facultatibus, honoribus, et oneribus, gratiis et indultis, privilegiis et praerogativis, perinde ac si in capitulo generali ipsius ordinis essent electi, ac pro eorum singulis in statutis ordinis respective praescriptis, eligimus, et deputamus.

Praeceptum de obediendo singulis porrectum.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena indignationis Nostrae, omnibus et singulis memorati ordinis, et provinciarum superioribus, fratribus et personis, caeterisque, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, ut supradictos religiosos viros per Nos respective selectos, praesentis electionis effectu pacifice frui et gaudere sinant, et faciant, eisque pareant, et obediant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari permittant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab omnibus respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et provinciarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus afficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Declaramus autem quod per praesentes nullimode derogare in posterum alternativae inter observantes et Reformatos Cismontanos eligendi vicarium generalem intendimus.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus insuper ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava maji millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CIII.

Dat. die 10. junii 1830. Anno II.

Dismembratio ecclesiae abbatialis sanctorum Vincentii et Anastasii Amandulae, et erectio novae ecclesiae parochialis in eodem territorio.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Exposcit Nobis injunctum apostolicae servitutis ministerium, ut ad ea per quae ecclesiarum omnium praesertim parochialium noviter erigendarum utilitati et commodo aliqua in parte salubriter provideri valeat libenter intendamus, ac in iis nedum apostolicas providentiae partes, novas etiam mediantibus erectionibus, et applicationibus interponendis non dedignamur, verum etiam opportunas ad hujusmodi effectum licentias, et facultates favorabiliter impertimur.

Expositio precum.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum incolarum undecim villa-

rem paroeciam ecclesiae abatialis sanctorum Vincentii et Anastasii in territorio Amandulae Firmanae dioecesis existentis constituentium expositio continebat, quod in praedicto ecclesia abbatiali jamdudum erecta reperitur abatia curata, quae dum integris suae primaevae dotationis potiebatur redditibus per aliquem benemeritum Romanae curiae praesulem obtineri, et regi consuevit. Animarum parochianorum hujus amplae paroeciae cura uni tantum vicario curato justo stipendio affecto, ad nutum tamen pro tempore existenti dictae ecclesiae abatialis amovibili concredita; sed postea nonnullis distractis ipsius abatiae bonis, eaque proprio rectore destituta dictarum animarum cura per aliquem presbyterum in oeconomum curatum ab ordinario loci pro tempore deputatum, et ad ejus nutum quoque amovibilem jamdiu exercetur. Experientia porro compertum est, quod ob nimiam ejusdem paroeciae latitudinem, viarumque asperitatem multi ex habitatoribus dictarum villarum, praesertim vero duarum volgo *Garulla inferiore* e *Garulla superiore* nuncupatarum, quae duorum milliarium spatio ab ipsa ecclesia abatiali distant, ad illam nonnisi cum maxima difficultate possunt accedere, ex quo profecto evenire solet, ut alii christianae fidei rudimentis prorsus ignari, alii vero in extremo vitae tempore spiritualibus subsidiis destituti remaneant. Cum autem, sicut eodem expositio subjungebat, in altera ex duabus memoratis villis quaedam extet sine cura ecclesia, ad quam nonnulli pro illius manutentione assignati fuedi legitima spectant; itaque exponentes praedicti aliquod praemissis incommodis afferri cupientes remedium, infrascriptam facultatem, per quam, ut etiam tu in votis habes, praevia duarum hujusmodi villarum a paroecia praedicta perpetua sejunctione, ac praefatae abatiae canonica soppressione, tam abatiales quam sine cura ecclesiae praedictae in totidem parochiales ecclesias collativas erigerentur a Nobis, et Sede apostolica sibi proposuerant implorandum; ideo Nobis supplicari fecernot exponentes praefati, quatenus expeditiori animarum curae hujusmodi exercitio opportune consulere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur, qui cunctorum christifidelium tum in spiritualibus, tum in temporalibus utilitates, et commoda, quantum cum Domino possumus libentissime procuramus; eisdem exponentibus specialem gratiam facere volentes, ipsosque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati tibi, ut tu a dicta ecclesia abatiali, ejusque paroecia praedicta eam territorii partem, quae dictas villas vulgo *Garulla inferiore et Garulla superiore* nuncupatas complectitur, quaeque ad eamdem ecclesiam abatialem nunc pertinet, nec non omnem, et quamcumque ejusdem partis parochianorum animarum curam apostolica tibi ad id specialiter et expresse delegata auctoritate perpetuo dismembrare ac separare, ac insuper abatiam praedictam, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam abatiae collativae eadem delegata auctoritate, servatis de jure servandis, et sine alicujus praejudicio itidem perpetuo supprimere, et extinguere, illisque sic suppressis et extinctis tam abatialem, quam sine cura ecclesias praedictas in totidem parochiales ecclesias in titulum per pro tempora existentem venerabilem fratrem archiepiscopum Firmanum, cessantibus tamen reservationibus, et affectionibus apostolicis, illis vero occurrentibus per Sedem apostolicam praevio consueto concursu ad formam concilii Tridentini desuper habendo conferendas duobus presbyteris saecularibus idoneis, futuris dictorum duarum parochialium ecclesiarum respective rectoribus, dicta delegata auctoritate et etiam perpetuo erigere, et instituere, eisdemque novis sic erigendis parochialibus ecclesiis pro illarum paroecia, el districtu secundo dictae videlicet della Garulla nuncupatae, eamque ad dictam abatiam, ac ut praefertur supprimendam et extinguendam in praesens spectantem intra dictarum villarum, ut praefertur dismembraedarum et separandarum confinia consistit: primodictae vero ecclesiae sanctorum Vincentii et Anastasii reliquam ipsius abatiae territorii partem, illarumque respective incolas, et habitatores praedictos pro missis, aliisque divinis officiis audiendis, et ecclesiasticis sacramentis recipiendis pari delegata auctoritate perpetuo quo-

que assignare, atque addicere, ac pro earumdem ecclesiarum parochialium, ut praefertur erigendarum congrua dotatione, decentique pro tempore existentium illarum rectorum hujusmodi sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione omnia, et singula bona, res, et proprietates, fructus, redditus, et proventus, ac emolumenta certa, et incerta ad dictam abatiam, ut praefertur, supprimendam, et extinguendam quomodolibet spectantia, et pertinentia, bona videlicet quae intra dictarum duarum villarum, ut praefertur dismembrandarum, et separandarum fines sita sunt secundo dictae, reliquae vero ipsius abatiae proprietates extra dictarum duarum villarum confinia praedicta consistentium cum illorum, et illarum respective fructibus, redditibus, proventibus, et emolumentis praedictis primodictae parochialibus ecclesiis, ut praefertur, erigendis eadem delegata auctoritate etiam perpetuo applicare ac appropriare valeas, plenam, liberam, et absolutam licentiam, et facultatem ipsa apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et impertimur:

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Nos enim dismembrationem, separationem, suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, assignationem, additionem, applicationem, et appropriationem per te vigore facultatis hujusmodi, ut praefertur faciendam, posteaquam tamen illae factae fuerint, nec non easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter, et inviolabiliter observari; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, ac literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expositio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plane, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide pro hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Conditiones adjectae.

§. 6. Volumus autem, quod omnia, et singula onera abatiae praedictae, et praefertur supprimendae, et extinguendae quomodolibet inhaerentia, excepto tantum onere stipendii, seu manutentionis vicarii curati praedicti per dictarum parochialium ecclesiarum sic ut praefertur erigendarum rectores praedictos, in ea quantitate, quam tu eorum cuilibet in Domino judicaveris proportionabiliter assignandam respective supportentur, et adimpleantur. Volumus etiam quod ad erectionem praefatae sine cura ecclesiae in parochialem procedi nequeat nisi prius ab incolis dictarum duarum villarum ut praefertur dismembrandarum, et separandarum domus rectoralis pro decenti proprii parochi habitatione assignata fuerit, iidemque ad cerae et olei quantitatem pro sacris peragendis caeremoniis necessariam annuatim subministrandam in forma juris valida se, suosque successores obligaverint. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima junii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CIV.

Dat. die 25. jun. 1830. Anno II.

Ampliatio privilegii concessi familiae Romolini Florentinae audiendi sacrum, et satisfaciendi praecepto in aedicula posita in pago nuncupato sancti Marci Veteris prope Florentiam.

Venerabili fratri Archiepiscopo Florentino.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Expouendum Nobis curavit dilectus filius Cajetanus Romolini isthic degens, se aediculam publicam possidere in pago, cui nomen s. Marci Veteris prope Florentiam, sibi autem in votis esse, ut ex odeo quod e proximis aedibus illam spectat non ipse solum, sed etiam ejus posteri sacrosancto sacrificio possint adstare, ac diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere. Supplici ergo cum prece a Nobis petiit ajus rei causa apostolica venia moniri.

Tenor concessionis. §. 2. Nos vero oratorem peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, at poenis, quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, qua orator, ac qui ex ejus recto stipite in perpetuum descendent, nec non consanguinei et affines una cum eo vitam degentes diebus quibuscumque per annum festis ex odeo illo sacerdoti adstantes, dum in aedicula sacrum facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico, et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus atque mandamus non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CV.

Dat. die 25. junii 1830. Anno II.

Concessio indulgentiarum assequendarum a confratribus ss. Sacramenti dioecesis Lucionensis tempore quadraginta horarum.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte venerabilis fratris Lucionensis episcopi, quod laudabilis admodum sanctissimi Eucharistiae sacramenti solemnis expositionis usus, sive quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum oratio in quibusdam ad id expresse designatis dictae suae dioecesis ecclesiis de ordinarii licentia per turnum exercenda instituta viget, cumque pia hujusmodi institutio christifidelium animos ad devotionem erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum adeo confoverit, atque auxerit, ut non tantum diu sed etiam noctu alternis vicibus sacris hymnis et canticis illud prosequi summopere desiderent, idcirco confraternitas seu sodalitas in praefata Lucionensi dioecesi canonice ut asseritur erecta existit, cujus omnes et singuli confratres vel sodales nonnulla pietatis opera integrae noctis spatio per turnum exercere consuescunt, seu intendunt: ea propter ut opus tam sanctum majori cum fructu fiat, ac etiam eorumdem confratrum sive sodalium numerus ac devotio augeatur, nec non uberioribus in dies proficere valeat incrementis, Nobis ideo humiliter ejusdem episcopi Lucionensis nomine supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ejusdem episcopi zelum et religionem plurimum in Domino commendantes piam istiusmodi institutionem ac devotionem in tot jamdiu orbis partibus diffusam quantum Nobis ex alto conceditur multiplicem et alacriorem efficere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus vel sodalibus supradictae confraternitatis vel sodalitatis tam eidem adscriptis quam pro tempore adscribendis omnes et singulas indulgentias,

peccatorum remissiones, ac poenitentiarium relaxationes, aliasque spirituales gratias piae societati almae urbis Nostrae, cujus est institutum vigilias pariter agere coram sanctissimo Eucharistiae sacramento pro oratione quadraginta horarum palam exposito a fel. rec. Pio pp. VII. praedecessore Nostro alias impertitas, dummodo tamen illa omnia pro earum consequutione praescripta rite adimpleverint, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 5. julii 1830. Anno II.

CVI.

Allocutio habita in consistorio secreto diei quintae julii millesimo octingentesimo trigesimo.

Venerabiles fratres.

Quae in venerabilem fratrem Joannem d'Hormez Musulensem archiepiscopum conflatae invidioso animo accusationes fuerant, cum sedulo examini subjectae, aut penitus falsae, aut plus nimio exaggeratae compertae fuissent; Leo XII. fel. rec. praedecessor Noster, voto congregationis propagandae fidei negotiis praepositae annuens, memoratum archiepiscopum Sedi apostolicae reconciliavit, Babylonensem patriarchatum ipsi administrandum dedit, et patriarcham certe renunciasset, nisi praepropera mors humanis optimum pontificem rebus exemisset. At irrequietum et audax illorum ingenium, quos Musulensis archiepiscopus adversarios patitur, accusationes merito explosas refricare non destitit, quo factum est, ut novas indagines instruere, novaque decreta sancire opus fuerit, quibus tamen et archiepiscopi innocentia confirmata est, et virtus splendidiorem in modum eluxit.

Perpensis itaque testimoniis virorum fide dignorum, praesertim vero venerabilis fratris Petri Alexandri Coupperie Latini Babylonensium episcopi, qui literis suis inculpatam vitae genus, exemplarem pietatem, sincerum archiepiscopi Musulensis in apostolicam Sedem obsequium perpetuo testatus est ac testatur; decretum a congregatione de Propaganda Fide die vigesima nona martii nuper elapsi editum approbamus, venerabilem fratrem Joannem d'Hormez, qui Musulensem archiepiscopatum administrare perget, catholicae Chaldaeorum nationis patriarcham constituimus, et sacro insuper pallio e corpore divi Petri, ut moris est sumpto insignimus. Vobis autem pro re nota omnem quoque facimus, venerabili fratri, Nos honorifico duorum episcoporum nationis Caldaeae statui, ac rebus ad monasterium s. Hormisdae in patriarchatu situm pertinentibus quantum fieri potuit consuluisse, ut turbata intestinis dissentionibus catholicorum Chaldaeorum tranquillitas tandem, juvante Deo, iisdem restituatur.

Id vero promptius, pleniusque Nos assequuturos confidimus, si novus patriarcha expectationi de se Nostrae respondens discordiarum semina in agrum illum Dominicum ab inimico homine jacta, revellere omni, ut instanter ab eo petimus, contentione studeat.

CVII. Dat. die 5. julii 1830. Anno II.

Concessio pallii facta Joanni Hormez archiepiscopo Musulensi, electo in patriarcham Babylonensem Caldaeorum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabili fratri Joanni Hormez nuper archiepiscopo Musulensi in patriarcham Babylonensem Caldaeorum electo, salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum Nos hodie patriarchali ecclesiae Babylonensi Caldaeorum certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua Nobis, et venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus ob illorum exigentiam Ratio et tenor concessionis.

meritorum accepta juxta decretum in congregatione eorumdem fratrum Nostrorum negociis de propaganda fide praepositorum desuper emanatum, et per Nos approbatum de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in patriarcham praefecerimus et pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, prout in Nostris inde confectis literis plenius continetur. Ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pastoralis officii pro parte tua fuerit Nobis hodie per dilectum filium Caesarem Lippi Nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit reverentia postulatum, Nos tuis postulationibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum, et per duos venerabiles fratres archiepiscopos, vel episcopos in illis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis apostolicae habentes tibi assignandum per dilectum quoque filium Paulum Giamala monachum Caldaeum nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem archiepiscopi vel episcopi, aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent, vel assignet, et a te Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum juramentum recipiant, seu recipiat.

Praefinitur modus utendi pallio.

§. 2. Tu autem pallio eodem intra dictam patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente fraternitatem tuam monemus, et hortamur attente quatenus humilitatem, et justitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Babylonensem Caldaeorum sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter gerere.

Deputationorum qui pallium tradent.

§. 3. Quocirca praedictis archiepiscopis, vel episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum dictum pallium juxta eamdem subsequentem formam tibi curent, seu curet assignari, et a te Nostro, et ejusdem Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma hujusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant, seu alter eorum recipiat juramentum, ejusdemque sic a te praestiti juramenti formam Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures.

Forma in eo tradendo servanda.

§. 4. Forma autem qua praedicti archiepiscopi vel episcopi in assignando tibi dicto pallio utentur haec est: « Ad honorem omnipotentis Dei, ac Beatae Mariae Virginis, ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et domini Nostri Pii pp. VIII., et S. R. E., nec non patriarchalis ecclesiae Babylonensis Caldaeorum tibi commissae tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut utaris eo intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab apostolica Sede concessis. »

Juramentum a pallium recipiente praestandum

§. 5. Forma autem juramenti quod praestabis haec est.

» Ego Joannes Hormez archiepiscopus Musulensis in patriarcham Babylonensem Caldaeorum electus ab hac hora in antea etc. evangelia. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo, tertio nonas julii, pontificatus Nostri anno secundo.

CVIII.

Dat. die 5. julii 1830. Anno II.

Reintegratio sedis Constantinopolitanae cum titulo archiepiscopi primatis pro catholicis Armenis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur quae a Turcarum imperatore concessa fuerint in solamen catholicorum Armenorum in toto ejus imperio degentium.

§. 1. Quod jamdiu a patre misericordiarum communia omnium vota impense efflagitabant, id tandem datum fuisse gratulamur, faciente ipso tranquillitatem quando validior tempestas efferbuerat. Vere enim mutatio haec fuit opus dexterae excelsi, qui dans vocem virtutis inclytis christianorum principum legatis in re catholica apud potentissimum Turcarum imperatorem juvanda eam insuper mentem eidem summo imperanti injecit, ut animo quo est magno et excelso catholicos Armenos,

quos praeter virtutes caeteras fides etiam in principem commendaverat illustribus favoris praecipui, ac benevolentiae testimoniis cumulaverit. Liberum quippe iisdem nunc est sacras aedes dedicare, publice ibidem divinis officiis operari, supplicationes, conventus, solemniaque omnis generis habere, quin exterior isthaec catholicae religionis procuratio vel afflicta, vel praepedita interceptaque ullo modo sit. Sancitum praeterea est, ipsos a schismaticis separatos prorsus ac sejunctos esse, sublatisque idcirco statutis, quibus subdebantur schismaticis, eorumque patriarchae ab omni erga ipsos subjectione, obedientia, parendique obligatione vel sacris vel civilibus in rebus soluti prorsus, exemptique perpetuo sunt. Quae quidem omnia nemo non videt in ingentem utilitatum cumulum ad Catholicam fidem in illustri Armenorum natione fovendam augendamque fore feliciter redundatura: sed majora adhuc ac certe praeter expectationem assequi insuper potuerunt ab summa imperatoris benignitate iidem christianorum principum legati, quorum sane maxima in religionem merita volumus honoris causa Nostro hoc testimonio commendata. Quod enim tantoperè ad catholicae disciplinae incolumitatem, et ad aptiorem sacrorum procurationem, nec non ad feliciorem totius ecclesiastici ordinis statum conferre palam est, peculiarem scilicet episcopatus constitutionem, quo antistes in gregis bonum adscitus impensiori pro muneris officio instantia ac sollicitudine eidem regendo, informando, juvandoque speciatim adlaboret, id etiam conciliatum adjicimus: ut nimirum archiepiscopi et primatis Armenorum catholicorum sedes Constantinopoli ad canonum regulas rite constituatur. Magnificantes igitur miserationes auctoris consummatorisque fidei laetificantis animam Nostram secundum multitudinem dolorum, quibus ob sollicitudinem omnium ecclesiarum in tanta temporum difficultate conficimur, Nostras illico curas cogitationesque convertimus ad uberrimos harum dispositionum fructus catholicis Armenis adproperandos, quos ob studium Orthodoxae fidei, ob animi magnitudinem, et ob constantem in imperatorem observantiam conspicimus divinae providentiae liberalitate e maxima tribulatione recreatos. Rei itaque universae ratione per venerabiles fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales Propagandae Fidei praepositos diligenter perpensa, haec quae sequuntur de apostolicae potestatis plenitudine, ac de matura deliberatione Nostris decernimus et mandamus, atque sancimus. Placuit siquidem Constantinopolitanam urbem, quae tot tantisque nominibus vel a priscis temporibus illustris praefulsit, archiepiscopalis, ac primatialis sedis honore insigniri, ut catholici Armeni iis legibus exsoluti, quibus sub schismatici patriarchae potestatem erant ibidem subjuncti; proprii ritus ea ipsa in civitate antistitem habeant, qui pleno legitimae jurisdictionis, et auctoritatis jure eosdem moderetur, pascat, regatque. Inde siquidem fiet, ut quo praeexcellentior splendeat catholicae Armenorum ecclesiae conditio, major in eam populorum veneratio invalescat, firmiorem sacrorum praesidum potestatem in ecclesiastica disciplina servanda exerceant, faciliusque in ipsius professionem se tradant christianae legis cultores.

Tenor concessionis.

§. 2. Quare pro impenso Nostrae affectionis studio, quo catholicos Armenos complectimur, certaque spe freti majora inde spiritualium bonorum incrementa pro ea Dominici gregis parte esse promanatura, exorato ad tanti momenti negocium definiendum divini luminis praesidio ad laudem et honorem omnipotentis Dei, et sanctissimae genitricis Dei Mariae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, nec non in catholicae fidei exaltationem sedem archiepiscopalem, et primatialem in urbe Constantinopolitana pro Armenis catholicis ibidem, et in reliquo Othomanico imperio degentibus, qui in praesens subsunt spirituali regimini, ac jurisdictioni vicarii Nostri apostolici patriarchalis Constantinopolitani perpetuo erigimus et instituimus, ecclesiamque pro ipsis Armenis catholici ritus Constantinopoli aedificandam, vel quae prae caeteris praecipuo hoc honore magis ibidem digna existimabitur in archiepiscopalem et metropolitanam ac primatialem ecclesiam Constantinopolitanam nuncupandam, et archiepiscopi primatisque Constantinopolitani Armenorum sedem, ecclesiaeque provinciae eidem addicendae caput, qui quidem archiepiscopus, et primas pallii de corpore beati Petri sumpti more solito conferendi, et crucis usum, prout caeteri metropolitani, ac primates, habeat, caeterisque privilegiis, honoribus, et praero-

gativis archiepiscopis, et primatibus debitis et concessis, ac juribus, praeeminentiis, indultis realibus et personalibus, et mixtis, quibus aliae metropolitanae, ac primatiales ecclesiae, earumque praesules legitimo jure fruuntur, uti, frui possit et valeat similiter tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore archiepiscopali metropolitano et primatiali decoramus, nec non pro tempore existentem catholicae hujuscec Armenorum ecclesiae Constantinopolis praesulem in archiepiscopum metropolitanum et primatem declaramus, eique, ut ipse ibidem et in sibi commissa provincia quidquid metropolitanis, ac primatibus in suis dioecesibus, ac provinciis a jure attributum est facere et administrare possit eadem apostolica auctoritate concedimus et indulgemus. Quocirca ecclesias olim episcopales, seu archiepiscopales Armenas jamdiu suis pastoribus viduatas, ideoque Nostri vicarii apostolici patriarchalis Constantinopolitani regimini commissas, uti etiam ecclesias apostolica auctoritate in eis provinciis de novo erigendas cum suis clero et populo Armeno catholico ecclesiae, beneficiis, et officiis ecclesiasticis cum cura, et sine cura animarum clero saeculari, seu regulari Armeno catholico addictis (extincto prius quolibet metropolitico episcopali, alterove, si quod forte in iis extet speciali etiam mentione indicando jura) in nova ecclesiastica provincia Armena Constantinopolitana esse, et consistere, neque in alia ecclesiastica provincia censendas, et numerandas esse decernimus, et declaramus, easque, et illarum singularum praesules, ut archiepiscopo metropolitano Armeno catholici ritus subsint, eique obedientiam, reverentiam, tamquam proprio metropolitano, et primati prorsus exhibeant, eidem perpetuo subjicimus, ac pro ejusdem ecclesiae et metropolitani primatis provincialibus perpetuo concedimus, et assignamus, reservantes Nobis ac successoribus Nostris ea in posterum sancire, quae in hac sic constituta ecclesiastica provincia pro temporum, locorum, personarumque rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec volumus atque mandamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Quae autem fidenti animo praesentique confisi patris luminum ope libenter decrevimus, ea ut fausta, felicia ac salutaria catholicis Armenis contingant, humili a Deo prece efflagitemus. Ipsi vero in tantum bonorum cumulum quando nulla pene spes affulgebat mira evocati hostiam laudis eorumdem largitori Deo offerant laetabundi, adnitanturque aemulari in dies charismata meliora, constanti imprimis ad religionem tuendam studio, sanctitate morum, purioris disciplinae cultu, integritate doctrinae, fideque in apostolicam Sedem immobili. Id vero se se assequuturos haud sperent, nisi quae sanctissimus praedecessor Noster s. Leo pontifex monuit, ob oculos habeant assidue, eaque sibi apprime servanda proponant: « Connexio scilicet totiue corporis unam sanitatem unamque pulchritudinem facit; at haec connexio unius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordia sacerdotum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta julii millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CIX.

Dat. die 16. julii 1830. Anno II.

Deputatio commissarii apostolici, qui pacem Galviam in provincia Connaciensi in Hibernia ibi pacem componere curet, et difficultates removere, quae intercedere solent in electione guardiani, et vicariorum.

Venerabili fratri Thomae Kelly Episcopo Dromorensi Armecani archiepiscopo coadjutori.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Quod est vel maxime optandum, et quod unum ad animarum salutem ac bonum vel maxima pertineat, id profecto est, ut pax Dei, quae exsuperat omnem sensum a cunctis christifidelibus singulari cura et studio exquiratur, eaque vel diligentissime servetur.

Ratio concessionis. §. 2. Nos igitur licet immerito quum arcano divinae providentiae consilio in apostolatus culmine constituti Christi Jesu hic in terris vicariam geramus operam, qui Nostra pax est,

et dedit Nobis ministerium reconciliationis, vehementer cupimus, ut Christi pax, qua nihil dulcius, nihilque pulcrius esse potest, exultet in cordibus omnium in quâ et vocati sumus in uno corpore. Quum itaque in florentissima Galviae civitate, quae in provincia Connaciensi in Hibernia sita saepenumero non omnia ex ordine fiant, quae guardiani et vicariorum electionem respiciunt, atque hac ex causa non levia in ecclesiasticum regimen damna et detrimenta redundare acceptimus, Nos huic rei occurrere volentes, venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationi, quae christiano nomini propagando studet commisimus, ut hujusmodi negotium cognosceret, Nobisque referret, quanam ratione incommodis mederi posset, quae ea in electione proficiscentur. Quae sacra congregatio posteaquam ea omnia maturo examine animadvertit, quae ad hanc rem pertinere posse videbantur, te venerabilis frater, in Galviae civitatem mittendum esse censuit, tranquillatum pacis opus cunctis nectere.

Tenor deputationis. §. 3. Quamobrem Nos hujusmodi s. congregationis consilium probantes, quum compertum exploratumque sit, quanta sane doctrina, prudentia, ac sapientia praestes, Nostris hisce literis tibi committimus, ut Galviam petas, et vehementer in Domino hortamur, ut ibi conciliatoris munera fungens, quantum in te est, apostolico zelo jaceas fundamenta pacis, et in id potissimum omnem industriam, curam, mentem, cogitationemque conferes, ut dissidentium animos componas, eosque ad concordiam tranquillitatemque excites, atque inflammes. Quo quidem in munere obeundo ex peculiaribus mandatis, quae tibi ab eadem sacra congregatione erunt mittenda, tuae curae erit omnia singulari diligentia cognoscere, quae illius civitatis, ac ditionis populis recte administrandis opportuna esse possunt, et prudenti consilio explorare quosnam effectus quaelibet immutatio possit afferre. Nulli autem rei manum admovens, omnibus de rebus sacram congregationem fidei propagandae praepositam certiorem accuratissime facies, ejusque monitis praeceptisque noviter obsequens quidquid ab ea tibi agendum commissum fuerit, id unum omni studio ac diligentia conficies. Tuis porro animi dotibus confisi non dubitamus quin tuus ad Galviam adventus cuique civium ordini gratus acceptusque sit, atque omnia ex voto succedant. Interea temporis singularis benevolentiae testimonium tibi edere volentes, apostolicam Nostram benedictionem tibi peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta julii anno millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CX.

Dat. die 24. julii 1830. Anno II.

Reformatio administrationis officii postalis in universa Pontificia ditione.

Pius PP. VIII.

Motu proprio

Expositio providentiarum susceptarum a praedecessoribus pro recta administratione postarum. §. 1. Le vicende luttuose de' tempi trascorsi, le quali per due volte sconvolsero, e rovesciarono l'ordine di pubblica amministrazione nello stato dalla divina provvidenza affidato al regime de' sommi pontefici, indussero ii due immediati Nostri predecessori di gloriosa ricordanza, Pio VII. e Leone XII., a portare l'attenzione loro sovra parecchi rami, come dell' amministrazione, e pubblica economia, così anche risguardanti l'interesse del pubblico erario, dando ai medesimi, o nuove instituzioni, o riformando le precedenti. Siccome lo scopo delle cure, e sollecitudini dei predecessori nominati altro non era, fuorchè quello di condurre al grado maggiore di perfezione li nuovi regolamenti, e le riforme adottate, non esitarono pertanto o per l'esperienza ricevuta, o per nuovi lumi acquistati, richiamando nuovamente a considerazione gli oggetti medesimi, d'indurre, e dettare quei cambiamenti, che suggeriva la maggiore utilità, e il bisogno della cosa, poichè nè gli umani stabilimenti giungar possono a prevenire tutti i risultati, nè la sapienza dei legislatori può tutto prevedere. Fra gli altri oggetti, cui rivolse le sue mire l'immediato Nostro ultimo predecessore; quello fu ancora dell' amministrazione generale delle poste; di cui lo stabilimento per ciò, che risguarda l'interesse del Nostro erario, erasi condotto in appalto fino alla seconda occupazione osti-

le dello stato Pontificio, e quale si conobbe dopo la restituzione del Pontificio legittimo governo, più conveniente all'interesse dello stesso pubblico erario, di condurle in amministrazione a carico totale, e profitto rispettive della Nostra camera. Piacque al pontefice lodato, di approvare un piano di riforma a lui sommesso da commissione particolare precedentemente da esso nominata, col quale rimanea progettato un nuovo sistema per l'amministrazione suddetta delle poste. A differenza peraltro di quanto fu solito a praticare il medesimo nelle nuove disposizioni di riforma dallo stesso dettate in ordine ad altri stabilimenti, e ad oggetti risguardanti la pubblica economia, e l'interesse del pubblico erario, si astenne di segnare per l'approvazione, e osservanza del nuovo sistema moto-proprio, o chirografo firmato da sua mano, avendolo approvato in via di semplice rescritto riportato dal Nostro reverendissimo cardinale camerlengo nell'udienza dei 24 aprile 1826. Siffatto contegno nella circostanza tenuto dal prenominato Nostro predecessore induce, non senza fondamento, a supporre, che intendesse il medesimo; prima di approvare con sanzione solenne il piano esibitogli di riforma, conoscere gli effetti, che prodotto avrebbe il nuovo sistema, onde dopo con maturità maggiore di consiglio, avvalorata eziandio dall'esperienza ricevuta, procedere nelle consuete forme solenni ad approvazione ferma, e irretrattabile, mercè apposita segnatura di moto-proprio, e chirografo, altronde poi indispensabile all'effetto, che derogato validamente venisse ai diritti da altri quesiti. Infatti l'altro predecessore Nostro di gloriosa rimembranza Benedetto XIV. con suo moto-proprio dei 12 agosto 1741, non riconobbe, e confermò in favore del cardinale camerlengo se non che il regolamento, e governo generale delle poste Pontificie per il buon servizio del pubblico, quantunque enunciasse, che di tale giurisdizione del cardinale camerlengo, malgrado le ricerche avanzate sull'oggetto, non si fosse trovato documento veruno, da cui risultasse tal concessione, e sivvero attribuzione di facoltà, dichiarando pertanto di competenza dello stesso cardinale camerlengo, oltre il governo, e regolamento, come sopra, delle poste, la cognizione d'assumersi, o giudizio d'interporsi dal medesimo in tutte le cause risguardanti il servigio, direzione, e governo delle stesse poste contro tutti i ministri, e persone qualsivogliano altre, benchè di qualunque privilegio fornite. Tornò il pontefice prenominato a ripetere, e dichiarare lo stesso nel moto-proprio successivo, segnato il 1 marzo 1742 in cui, ad evitare le collisioni frequenti di giurisdizione fra il cardinale camerlengo, e monsignor tesoriere generale, provenienti dal moto-proprio succennato dei 12 agosto 1841 fissò i limiti privativi dell'una e dell'altra, specificando fra le materie di competenza privativa del cardinale camerlengo il regolamento, e governo delle poste Pontificie, tanto in Roma, che in altro luogo dello stato Ecclesiastico, e la cognizione, e giudizio di tutte le cause civili, criminali, e miste toccanti il servizio, e fedeltà ricercata nel governo, e direzione delle stesse poste, tanto contro i ministri, che contro qualunque altra persona, sebbene privilegiata, e passando quindi a indicare, e stabilire le materie di competenza esclusiva del prelato tesoriere generale, dopo singolare enumerazione di parecchie delle medesime, dichiarò competenza dello stesso tesoriere l'amministrazione privativa di tutt'altre, che riguarda l'amministrazione, ed economia della Nostra Camera, con facoltà o giurisdizione parimenti privativa di stipolare istrumenti, ed affitti, pubblicar bandi, affiggere editti, e notificazioni. Lo stesso immediato Nostro predecessore Leone XII. allorchè portò la sua attenzione a sistemazione migliore dei regolamenti già vigenti in ordine all'amministrazione del pubblico erario, nel suo moto-proprio, segnato li 21 dicembre 1828, dichiarò, e prescrisse nell'articolo 6 del medesimo, che tutto ciò, che risguarda la pubblicazione delle nuove leggi, da emanarsi dai pontefici, relativa ad interessi camerali, rimanesse privativamente conservato al cardinale camerlengo, e così tuttociò, che riguarda l'esercizio dell'amministrazione camerale, rimanesse privativamente conservato nella persona di monsignor tesoriere. Con questa nuova, ed ultima sua disposizione, confermante genericamente, ed indistintamente nella persona di monsignor tesoriere generale la facoltà privativa di esercizio dell'amministrazione camerale, derogando, come si espresse nel fine del suo moto-proprio, a tut-

l' altre disposizioni, e cose, che opporsi potessero alle provvidenze, e prescrizioni nel ridetto moto-proprio dettate, venne certamente il predecessore Nostro a rivocare le disposizioni particolari relative all' amministrazione economica delle poste Pontificie portate dal piano di riforma, da lui approvate soltanto col rescritto pronunciato del 24 aprile 1826, poichè altrimenti, se fosser dovute rimanere vigenti le disposizioni particolari suddette, stato sarebbe incompatibile in ordine all' amministrazione delle poste, per ciò, che riguarda l' interesse del pubblico erario, l' esercizio dell' amministrazione camerale indistintamente, e genericamente confermato nella persona di monsignor tesoriere. Avrebbe al certo lo stesso predecessore Nostro dichiarata siffatta intelligenza coerente all' ultima sua disposizione, al primo evento di rimostranza, che si fosse a lui presentata dopo la pubblicazione del moto-proprio suddetto, se non fosse stato dopo il corso di poco più di un mese involato da immatura morte al governo dello stato.

Novae providentiae ad eundem finem necessariae repertae.

§. 2. Avendo Noi, dappoichè piacque alla divina onnipotenza chiamarci a succedergli, in seguito di rimostranze avanzateci, portato l'attenzione Nostra sul sistema attuale dell' amministrazione generale delle poste in conformità del piano suindicato vigente di riforma, dopo aver tutto preso in accurata attenzione, crediamo dover interessare la Nostra suprema provvidenza, di prescrivare il metodo certo, definitivo, e invariabile, mercè cui lungi da collisioni, ed intralci, che non ridondano se non che in pregiudizio della cosa amministrata, abbiano con precisione a distinguersi le attribuzioni rispettivamente competenti per la condotta, e sorveglianza dell'amministrazione suddetta. Pertanto nella presente Nostra cedola, avendo per espressi, a di parola in parola riportati li due moti-proprii enenunciati della sa. me. di Benedetto XIV. dei 12 agosto 1741, e dal 1 marzo 1742 il piano di riforma dell' amministrazione attuale delle poste, il rescritto d'approvazione del medesimo, emanato dall'immediato Nostro predecessore Leone XII. per organo del reverendissimo cardinale camerlengo nell'udienza dei 24 aprile 1826, il breve, o qualsivoglia altra disposizione dallo stesso pontefice segnata per la istituzione della carica di direttore delle poste per gli uffici di Roma, e qualunque altra costituzione apostolica, indulto, uso, consuetudine, ed ogni altra cosa necessaria ad esprimersi, di Nostro moto-proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra apostolica, e suprema podestà, ad autorità, dichiariamo, e decretiamo, che l' amministrazione generale delle poste di Roma, e del Nostro dominio, debba essere da ora in appresso, ed in ogni futuro tempo, rappresentata, regolata, condotta, ed esercitata ripartitamente fra i soggetti, che saranno inferiormente da Noi nominati per il più regolare andamento, e spedito corso delle medesime nel modo, termini, e prescrizioni seguenti.

Explicantur quae negotia spectent cardinali a secretis status.

I. §. 3. Tutti gli affari, che hanno relazione a corti, o persone straniere, segnatamente le trattative, e stipolazioni di convenzioni; e di qualunque altra specie d'intelligenze, e concerti politici, e diplomatici, tuttociò, che risguarda il servizio di sovrani, e di principi spettanti a famiglie regnanti, i quali facciano passeggio pei dominj Pontificj, la spedizione di guardie nobili, la nomina, il servizio, l'invio di corrieri di gabinetto, saranno di totale, ed esclusiva attribuzione, ed ingerenza del Nostro cardinale segreterio di stato, e suoi successori, a di cui cura sarà di dare all'amministrazione generale delle poste la comunicazione delle disposizioni, ed atti relativi nelle contingenze degli oggetti suddivisati, unicamente all' effetto, che l' amministrazione venga a conoscerli, ed invigili all'esatta, e plenaria esecuzione, ed osservanza dei medesimi.

Item quae sunt exclusivae jurisdictiones cardinalis camerarii.

II. §. 4. Al reverendissimo cardinale Nostro camerlengo, quale a termini anche dell'articolo 11. della costituzione *Post diuturnas* pubblicata dal pontefice Pio VII. di gloriosa e santa memoria, e dell'articolo 6 del moto-proprio dei 21 dicembre 1828 segnato dall' immediato predecessore Leone XII. d'onoravole ricordanza, è il privativo ministro della legislazione economica, rimane esclusivamente conservato il diritto di pubblicare, con Nostra intesa, tutte le leggi, e regolamenti diretti a garantire la fede pubblica epistolare; a regolare, e facilitare le corrispondenze del commercio vicendevole de' popoli; il regolamento, governo, direzione, e il buon servigio, e condotta della poste Pontificie, tanto in Roma, che in altro luogo

dello stato Ecclesiastico, mediatamente, e immediatamente soggetto alla santa Sede, non che il diritto della cognizione di tutte le cause civili, criminali, e miste risguardanti il servizio, a fedeltà ricercata nel governo, direzione, e andamento dell' istesse poste, tanto contro i ministri, che contro altre particolari persone, benchè fossero ecclesiastiche, secolari, e regolari, di qualunque ordine dignità, preminenza, ed esenzione, ancorchè fossero tali che per comprenderle fosse necessario farne specifica, ed individua menzione; come altresì di sorvegliare alla buona direzione, e andamento generale dell' amministrazione, rimanendo inoltre di piena, ed assoluta di lui competenza, e de' suoi successori, quanto non si trovi particolarmente compreso nelle varie sfere di attribuzioni, che relative all' amministrazione postale rimanguno particolarmente ripartite nella presente cedola di Nostro moto-propio.

Enumerantur caetera reservata r. p. d. thesaurario generali.

III. §. 5. Le attribuzioni del Nostro monsignor tesoriere generale, cui tanto secondo il moto-proprio suaccennato del 1 marzo 1742 del pontefice Benedetto XIV. quanto giusta l' articolo 14 della costituzione preindicata *Post diuturnas* e dell' articolo 6 del moto-proprio del predecessore immediato Nostro Leone XII. dei 21 dicembre 1828 spetta privativamente tuttociò, che risguarda l' amministrazione, ed economia della Nostra Camera, e l' esercizio dell' amministrazione Camerale, avendo a tornare relativamente all' amministrazione delle poste allo stato, in cui erano prima, che venisse commesso ad esecuzione il piano di riforma attivato nel 1826, sarà quindi cura esclusiva del tesoriere generale pro tempore l' incasso, ed esigenza dei diritti prodotti postali, la economia delle spese in tutti i rami dell' amministrazione, al cui oggetto sarà a carico dello stesso adottare provvidenze, e misure opportune, non che l' esame, e discussione dei preventivi, e consuntivi, da sottoporsi dipoi alla congregazione di revisione de' conti, la preordinazione, e stipolazione dei contratti, e degli appalti delle stazioni tutte postali, previi gli avvisi eccitatorii delle offerte, alla quale stipolazione dovrà peraltro procedere colle formalità, e regolo prescritte dal moto-proprio della gloriosa memoria di Benedetto XIV. del 26 novembre 1742 richiamate a scrupolosa osservanza nell' articolo 7 della menzionata costituzione *Post diuturnas* devendo per l' apertura delle offerte attenersi strettamente al disposto nell' articolo 22 della costituzione prenunciata, volendo, e ordinando, che nell' esercizio libero, e indipendente di tal sue attribuzioni non abbia a consultare qualora n' occorra il bisogno, se non che il parere Nostro, e de' Nostri successori.

De munere praesulis postarum.

IV. §. 6. Il soprintendente generale delle poste, di cui l' officio rimane conservato, avrà l' esecuzione esclusiva di tutti gli ordini, e disposizioni, ch' emaneranno, e che dovranno essere a lui comunicati dal cardinale segretario di stato pro tempore, dal cardinal camerlengo, o da monsignor tesoriere generale, ciascuno nella sfera delle attribuzioni rispettive, come sopra, indicate, e ripartite; riportandosi però il medesimo nell' esecuzione degli ordini a lui comunicati in modo, che non abbia a riputarsi indipendente, ma bensì tenuto ds dovere d' ufficio, a dipendere rispettivamente da ciascuno dei tre anzidetti suoi superiori.

De munere directoris.

V. §. 7. Rimarrà soppresso l' ufficio di direttore delle poste istituito col piano enunciato di riforma per l' azienda postale della dominante, ed il soggetto, che ne disimpegnava ora le funzioni, assumerà unicamente, ed esclusivamente il titolo, e funzioni di rincontro generale delle poste. Le attribuzioni di quest' ufficio si estenderanno a vegliare sovra l' andamento dell' amministrazione intera delle poste, segnatamente in ordine all' interesse, che vi hanno le finanze, e il pubblico erario. Non potrà in conto alcuno il rincontro generale suddetto pubblicare ordine, e disposizione veruna, nè intromettersi punto nelle attribuzioni riservate al soprintendente generale, ma si limiterà a tenere di continuo informati i tre superiori sovr' indicati in ordine all' andamento postale, ciascuno in relazione all' ingerenza, e attribuzioni rispettive, come sovra ripartito.

De munere subjectorum.

VI. §. 8. Ciascuno dei soggetti, che sono nei termini sovra stabiliti confermati ad aver parte determinata nella direzione generale delle poste, sarà ad assumere indilatamente, dopo la pubblicazione del presente Nostro moto-proprio l' esercizio libero delle attribuzioni relative, adottando quelle cautele, che stimerà opportune onde dividere il disimpe-

gno futuro di sue attribuzioni dall'amministrazione precedente.

De negociis pertractandis in congressibus.

VII. §. 9. Richiedendo, che si dia esito tanto spedito, quanto lo esige l'urgenza, e tanto maturo, quanto la rispettiva importanza lo inculca, agli appalti rimasti sospesi di parecchie stazioni postali, quali occorre, che vengano deliberate pel buon ordine dell'amministrazione, e il servigio si dei sudditi, che degli esteri viaggiatori, dovrà aduoarsi per tal solo emergente, anche coll'intervento del Nostro cardinale segretario di stato, uno, o più congressi dell'amministraziona delle poste composto dai soggetti, che erano soliti fin ad ora, in conformità del detto piano di riforma, ad intervenirvi, o di quelli fra i medesimi, cui piaccia d'intervenirvi, all'oggetto nel congresso, o congressi anzidetti, di discutersi in prima, ed approvarsi gli atti di accettazioni, o delibere, che si troveranno regolarmente in corso riguardò agli appalti delle stazioni postali mancanti tuttora di stabile appaltatore, affiochè possa aver luogo, senza più lungo ritardo, a termini della presente cedola di moto-proprio, la stipolazione dei corrispondenti contratti, non che di prendere nella considerazione conveniente i ricorsi, e rimostranze pendenti dei varj maestri di posta, che riguardano l'istesse stazioni postali, onde sia preso sulle medesime il provvedimento, che valgano a meritare, con quell'urgenza, che le circostanze richiamano, a termini di ragione, ed anche di equità, a seconda dell'emergenze particolari, che possono concorrere; come finalmente all'effetto, che il nuov'ordine di sovra stabilito per l'amministrazione generale delle poste rimanga introdotto, e attivato colla speditezza, e regolarità maggiore corrispondente all'osservanza precisa delle disposizioni sovra dettate.

De munere inspectorum.

VIII. §. 10. Essendo ora in uso, e stile presso l'amministrazione generale delle poste, che li due ispettori postali percorrano ciascuno lo stradale assegnato, per visitare gli ufficii, e le stazioni postali all'oggetto di verificare, se i primi siano regolarmente condotti, e le seconde rimangano provvedute delle cose necessarie, ed opportune al buon servigio dei corrieri, e dei viaggiatori, a termini non meno dei regolamenti vigenti, o che saranno per rinnovarsi, di quello che delle obbligazioni assunte nei contratti degli appalti rispettivi, avendo appreso da relazioni ricevute, che al buon' effetto di tale provvidenza bastevole sia, e nel tempo stesso conducente alla maggior economia, che invece delle due visite all'anno, ne venga eseguita una sola da ciascuno dei due ispettori, prescriviamo pertanto, e ordiniamo che in avvenire ad una sola nel corso di ogn'anno possano esser limitate le visite consuete ora a farsi dai due ispettori, con che peraltro la medesima abbia luogo, e si eseguisca a tempo debito, e col segreto maggiore, laonde avvenendo improvveduta, possa riescire veramente utile, e corrispondente all'effetto, per cui vennero stabilite le visite postali; rimettendo però alla prudenza di monsignor tesoriere ordinare anche la seconda visita, se stimi, che il buon servigio postale ne possa ritrarre vantaggio.

De sumptibus, et oneribus administrationis.

IX. §. 11. Avendo altresì appreso, che fra le altre spese, ed aggravj recati all'amministrazione generale delle poste dalla istituzione della diligenza da Roma a Ferrara, notabilissima quella sia, d'aver dovuto l'amministrazione suddetta aumentare l'annua provvisione agli appaltatori delle stazioni postali, per le quali fa transito la diligenza, a causa, che dessi appaltatori siano stati obbligati a servire la diligenza per somma di molto inferiore a quella, che avrebbero dovuto percepire a seconda delle tariffe vigenti, ordiniamo pertanto, e strettamente incaricbiamo, che, quando sarà prossimo al suo termine il contratto vigente della diligenza suddetta, debba monsignor tesoriere generale unitamente al reverendissimo Nostro cardinale camerlengo assumere ad esame, qual altro metodo più economico possa sostituirsi al presente, onde provvedere, che, nel facilitare il trasporto della diligenza indicata, si diminuisca al più, che sia possibile, l'aggravio all'amministrazione generale delle poste, esaminando ancora, e riferendo a Noi stessi, se sia, o no per essere partito migliore, di separare dall'intrapresa soprannominata della diligenza qualsivoglia cooperazione dall'amministrazione, e lasciare, che quella divenga una impresa totalmente privata, sulla quale peraltro in ordine al corso regolare della medesima, e alle norme disciplinari, da cui debb'esser diretta, abbia ad avere giurisdizione il cardinale Nostro camerlengo in forza delle attribuzioni sovr'indicate d'esclusiva sua competenza.

Monitum speciale.

X. §. 12. Nominiamo, ed incarichiamo il Nostro cardinale segretario di stato, e suoi successori, di vegliare in ogni futuro tempo all'esatta esecuzione, ed adempimento di questa Nostra sovrana volontà, tribuendogli a tal'effetto le facoltà tutte, di cui facesse bisogno.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 13. Volendo, e decretando, che la presente cedola di Nostro moto-proprio da Noi segnata, benchè non ammessa, e registrata in camera, n ne' suoi libri, e quanto in essa viene ordinato, e prescritto, debba sempre, ed inviolabilmente osservarsi; che non possa a tutte, e singole cose contenute nel medesimo mai darsi, nè opporsi eccezione di orrezione, e sorrezione, nè di alcun'altro vizio, o difetto della Nostra volontà; che mai sotto tali, o altri pretesti, colori, e titoli di qualsivoglia validità, ed efficacia essi siano, ancorchè di *jus quaesito*, o di pregiudizio del terzo, non possa mai quanto si è da Noi con questo Nostro moto-proprio ordinato, e prescritto, essere impugnato, moderato, rivocato, ridotto *ad viam juris*, neppur per *aperitionem oris*; che così, e non altrimenti debba in perpetuo osservarsi, ed interpretarsi da qualunque siasi mai tribunale, congregazione, ancorchè di reverendissimi cardinali, e qualunque altra autorità, benchè degna d'individua, speciale, e specialissima menzione; togliendo a tutti indistintamente ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare diversamente, dichiarando fin da ora preventivamente nullo, irrito, ed invalido tuttociò, che dà ciascuno di qualunque autorità munito scientemente, o ignorantemente fosse giudicato, e prescritto, o si tentasse giudicare, e prescrivere contro la forma, e disposizione del presente Nostro moto-proprio, il quale vogliamo, che vaglia, e sortisca il suo pieno effetto, ed esecuzione colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non siano state chiamate, e sentite qualsisiano persone privilegiate, e privilegiatissime, che avessero, o pretendessero avervi interesse, e che per comprenderle vi fosse bisogno d'individualmente, ed espressamente nominarle.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante ancora tutte, e qualsivogliano costituzioni apostoliche Nostre, e dei Nostri predecessori, ordinazioni, brevi, decreti, chirografi, bandi, editti, leggi, riforme, stili, o consuetudini, o qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, e che in qualunque tempo fossero stati emanati, e rispettivamente introdotti da qualsivoglia autorità, alle quali disposizioni tutte, e singole, avendone qui il tenore per espresso, e riferito di parola in parola, in quanto possano opporsi alla piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente moto-proprio, ampiamente, ed in ogni più valida maniera deroghiamo, ancorchè tali costituzioni apostoliche, ed altre ordinazioni fossero rivestite di clausole derogatorie, e derogatorie delle derogatorie, essendo precisa Nostra intenzione, e volontà, che debbano inviolabilmente, ed in ogni tempo osservarsi le disposizioni da Noi presentemente stabilite, e prescritte, volendo, o dichiarando nulle, irrite, e di niun'efficacia tutte le altre, che non si conformino alle medesime, supplendo colla pienezza della Nostra suprema potestà a qualunque vizio e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che nelle disposizioni stabilite potesse intervenire, per questa sola volta, ed all'effetto premesso specialmente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 23 luglio mille ottocento trenta del Nostro pontificato anno secondo.

Pius PP. VIII.

CXI.

Dat. die 27. julii 1830. Anno II.

Reintegratio sedis Goritiensis ad honorem archiepiscopatus.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

§. 1. In supereminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, illa quoque Nobis incumbit causa, ut cathedrales ecclesiae a praedecessoribus Nostris jam antea in metropolitanas erectae, ac progressu temporum metropolitico jure jam destitutae, catholicorum principum postulationibus annuendo, ad metropolitanarum ecclesiarum

gradum, et honorem denuo ab apostolica Sede extollantur.

Exponitur quomodo Goritiensis ecclesia nunc episcopalis, nunc archiepiscopalis fuerit.

§. 2. Posteaquam fel. rec. Benedictus XIV. praedecessor Noster cathedralem ecclesiam Goritiensem ad gradum sedis archiepiscopalis evexerat, ita graves obvenerunt temporum vicissitudines, ut sanctae memoriae Pius VI. itidem praedecessor Noster illam denuo inter episropales sedes tantummodo adscripserit.

Memoratur inquisitio commissa episcopo Goritiensi instituenda pro recta dioecesium distributione in regno Veneto Longobardo.

§. 3. Subinde vero nomine carissimi in Christo filii Nostri Francisci Austriae imperatoris, ac Bohemiae, et Hungariae regis apostolici, nec non regni Longobardi Veneti pariter regis preces fuerunt oblatae, quod rem sacram in Illyricis regionibus Austriaco dominatui subjectis ea, qua poterat, ratione pro locorum, ac temporum conditione magis accommodata ordinandam eum praesertim in finem, ut aptior ecclesiarum, ac dioecesium divisio ibidem decerneretur. Placuit rec. mem. Pio VII. praedecessori similiter Nostro canonicam super hac re inquisitionem venerabili fratri Josepho episcopo Goritiensi committere, in qua etiam quaesitum fuit, quod ad ecclesiasticam Illyricianam provinciam, ejusque metropolitanam designandam ecclesiam requirebatur.

Declaratur quomodo nova divisio dioecesium probata fuerit a sancta Sede.

§. 4. Accepto igitur canonico hujusmodi processu fel. rec. Leo XII. mentem sequutus pontificis sui praedecessoris per apostolicas literas incipientes « *Locum beati Petri* » sub datum pridie kalendas julii anni millesimi octingentesimi vigesimi octavi, pontificatus sui anno quinto, novam illam dioecesium divisionem opportune sancivit, atque idcirco unum supererat apostolica auctoritate firmandum, quod memoratam Illyriae provinciam spectabat; idque feliciter adproperarunt vota praelaudati Francisci imperatoris, et regis, qui per dilectum filium nobilem virum Rodulphum comitem Lutzowium suum apud Nos, et apostolicam Sedem extraordinarium oratorem a Nobis humiliter postulavit, ut quod ex ipsis inquisitionis tabulis, et ex praedecessoris Nostri sententia opportunius fore conspicitur, id nunc apostolica auctoritate constabiliatur.

Reintegratio sedis archiepiscopalis.

§. 5. Nos itaque in hoc rerum statu imperialis, ac regiae majestatis suae postulationibus, quantum in Domino possumus, annuere cupientes, et defectui consensus quorumcumque interesse habentium plenarie supplentes, cathedralem ecclesiam Deo sacram sub invocatione sanctorum martyrum Hilarii ac Tatiani erectam in civitate Goritiensi, quae est provinciae caput, quaeque sarrarum aedium splendore, civium frequentia, et magistratuum dignitate praefulget, ad archiepiscopalis ecclesiae una cum sede metropolitana, et capitulo ex tribus dignitatibus, quatuor canonicis, et sex mansionariis efformato gradum denuo extollimus, ac restituimus pro uno deinceps archiepiscopo Goritiensi, qui pallii, et crucis usum, arcam, mensam et sigillum ex aliorum archiepiscoporum more habeat, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, juribus, privilegiis, et honoribus, quibus aliae metropolitanae ecclesiae fruuntur, valeat perpetuis futuris temporibus gaudere.

Explicatur quae sedes subsint metropolitico juri novi archiepiscopi.

§. 6. Praevia autem immutatione hodierni status episcopalium ecclesiarum Labacensis, Tergestinae una cum concathedrali Justinopolitana huic sanctae Sedi immediate subjectarum, itemque Parentinae cum Polensi concathedrali huiusque patriarchalis Venetiarum suffraganearum, ac insuper Polensis suffraganeae archiepiscopatus Jadrensis, eas omnes episcopales ecclesias metropolitico juri archiepiscopi Goritiensis ad praestitutas a sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus regulas perpetuo subjicimus, atque supponimus.

Assignatio paroeciarum.

§. 7. Cumque laudatus Pius VII. praedecessor Noster assensum praebuerit votis antedicti imperatoris, ac regis pro sejunctione a dioecesi Goritiensi, ac Tergestina nonnullarum paroeciarum Labacensi dioecesi tribuendarum, Nos idcirco sexdecim paroecias denominatas, Happ, Dudaine, Erzell, Gozba, Losizza, Oberfeld, Palanina, Podrago, Poelkrai, Schwarzenberg, Sturia, S. Veit, Urabitske, Ustia, Wippach, Zoll, a Goritiensi dioecesi, pariterque unam super viginti paroecias vocitatas, Adelsberg, Cosana, Born, Harsi, Mantersdorf, Nadanafella, Nussdorf, Posteine, Prevald, s. Peter, Sagorie, Senosetsib, Stavina, Studeno, Senbovie, Ternora, Ubelsko, Urem, Urenovicz, Knesback, Pram, cum locis, De Zhell, Janesoruberda, et Preloscbe, jam paroeciae de Krusza spectantibus ex Tergestina dioecesi respective disjungimus, et abstrahimus, illasque dioecesi Labacensi perpetuo tribuimus, et adsignamus, ac ordinariae Labacensis episcopi au-

ctoritati, ac jurisdictioni omnino subjectas declaramus; praecipientes, ut omnia, et singula documentata respicientia paroecias, ut supra, dismembratas a cancellariis Geritiensi, et Tergestina extrahantur, et opportuna forma tradantur episcopali cancellariae Labacensi, ibique perpetuo serventur.

Deputatio executoris apostolici.

§. 8. Harum Nostrarum literarum exequutorem eligimus, ac deputamus venerabilem fratrem Franciscum Xaverium De Luschin episcopum Tridentinum, cui omnes, et singulas necessarias, et opportunas concedimus facultates, etiamsi opus fuerit, ecclesiasticum virum in dignitate constitutum pro sua prudentia specialiter subdelegandi, ut cuncta superius disposita peragere ac statuere, et super quacumque oppositione adversus praemissa in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura agnoscere, ac definitive pronunciare libere, et licite possit, et valeat: mandantes expresse eidem Francisco Xaverio episcopo, ut exempla singulorum actorum in praesentium literarum exequutionem conficiendorum infra quadrimestre ab expleta ipsarum exequutione ad hanc apostolicam Sedem authentica forma transmittat, in archivio congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Praesentes vero literas, et in eis contenta, ac statuta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiamsi expressa, specifica, et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali, et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia, ac potestatis plenitudine factas, et emanatas perpetuo validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere: et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus, et inane esse et fore volumus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis individua mentione dignis, omnibusque, et singulis apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus. Quibus omnibus, et singulis, eorumque totis tenoribus, ac formis etiamsi specialis mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium, et singulorum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Praeterea volumus, ut harum literarum Nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsi praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Fides habenda transumptis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, dismembrationis, disjunctionis, separationis, aggregationis, unionis, erectionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subjectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, aut voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo, sexto kalendas augusti, pontificatus Nostri anno secundo. Sanctio poenalis.

CXII.

Dat. die 1. aug. 1830. Anno II.

Concessio indulgentiae assequandae ab iis, qui feria secunda post dominicam secundam paschatis resurrectionis visitaverint ecclesias parochiales dioecesis Zamorensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut expositum Nobis nuper fuit in omnibus parochialibus ecclesiis vicariis nuncupatis civitatis ac dioecesis Zamorensis, in quibus confraternitas sub invocatione sancti Petri apostoli canonice ut asseritur erecta reperitur, festum ejusdem sancti Petri apostoli feria secunda post dominicam secundam paschatis resurrectionis Dominicae quotannis celebrari non sine magno christiani populi concursu consuetum sit, Nos ad augendam eorumdem christifidelium devotionem animarumque salutem procurandam intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis parochialibus praefatis feria secunda post dominicam secundam paschatis resurrectionis Dominicae singulis annis devote visitaverint, ac ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Infirmis autem aliovo legitimo impedimento detentis modo vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, alia pietatis opera, quae pro viribus exercere poterunt, peragentibus plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem similiter concedimus et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXIII.

Dat. die 1. aug. 1830. Anno II.

Concessio indulgentiae assequendae ab iis, qui in festo sancti Martini visitaverint ecclesias monachorum ordinis Cisterciensis dioecesis Zamorensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater modernus episcopus Zamorensis quod ad magis conferendum christifidelium suae dioecesis erga sanctos Dei cultum ac devotionem, quorum tutela ac patrocinium animarum saluti plurimum opportunum esse dignoscitur, illos coelestibus Ecclesiae thesauris ditari plurimum cupit.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ejusdem venerabilis fratris episcopi supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus ac sacra communione refectis, qui ecclesiam sancti Martini monachorum ordinis Cisterciensis, seu aliam ejusdem ordinis ecclesiam, aut cathedralem, sive aliquam ex parochialibus aut monasterii provinciae universae Zamorensis dioecesis die festo ejusdem sancti Martini primi abbatis monasterii Vallis Paradisi in septima mensis octobris die incidente a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 3. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate

constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel osteosae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 1. aug. 1830. Anno II.

CXIV.

Concessio indulgentiae assequendae ab iis, qui die infra annum ab ordinario designando visitaverint ecclesias parochiales dioecesis Zamorensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Cum sicut exponi Nobis nuper fecit modernus episcopus Zamorensis in uno anni die per ordinarium designando in omnibus parochialibus ecclesiis vicariis nuncupatis suae Zamorensis civitatis et dioecesis in quibus confraternitas sub invocatione s. Petri apostoli canonice ut asseritur erecta existit, missa solemnis defunctorum in suffragium animarum defunctorum confratrum et consororum dictae confraternitatis quotannis celebrari de more consuetum sit.

Tenor concessionis. §. 2. Nos ut opus tam sanctum majori cum fructu fiat, ad augendamque christifidelium devotionem, animarumque salutem procurandam coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac s. communione refectis, qui missae celebrationi praedictae, ut praefertur, peragendae devote interfuerint, vel eam ecclesiam, in qua hujusmodi celebratio peracta fuit, eadem die devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino concedimus. Praeterea ut in dicta die missae, quae ad quodcumque altare uniuscujusque ex praefatis ecclesiis celebratae fuerint, animae seu animabus defunctorum confratrum et consororum confraternitatis praefatae perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 3. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo. Fides habenda transumptis.

Dat. die 1. aug. 1830. Anno II.

CXV.

Concessio indulgentiae assequendae a fratribus, et monialibus dioecesis Zamorensis in die solemnis professionis votorum.

Venerabili fratri Thomae Zamorensi episcopo.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit, quod christifideles fratres et moniales singulorum coenobiorum seu monasteriorum in tua civitate, et dioecesi existentium de laudabili eorum instituto solemnia professionis vota castitatis, paupertatis et obedientiae in propria uniuscujusque religione, quam professi sunt, emittere quotannis consuescunt seu intendunt. Ut major proinde animarum suarum fructus, ac spiritualis fervoris affectus inde oriatur coelestium Ecclesiae thesaurorum, quorum dispensationem fidei Nostrae credidit Altissimus clargitione participes fieri summopere cupiunt. Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Expositio precum.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, si concessionis hujusmodi affectus eisdem opportunus esse dignosceris tibi, ut quandocumque aliquis seu plures cujusque ordinis, congregationis, et instituti regulares, cum primum solemnia suae, ac cujuslibet eorum professionis vota, tum etiam anniversaria ejusdem professionis die fervanter emiserint, dummodo vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem consequi possint et valeant, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 3. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die primo augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXVI.

Dat. die 3. aug. 1830. Anno II.

Facultas audiendi sacrum, et satisfaciendi praecepto in odeo extruendo prope ecclesiam s. Marci civitatis Nuceriae pro familia Scafati ejusdem civitatis.

Venerabili fratri Episcopo Cavensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius presbyter Petrus Scafati in canonicorum collegium ecclesiae s. Marci Nuceriae intra limites istius Cavensis dioecesis cooptatus, se legitima venia aediculam publicam aedificare subter aedes suas illius civitatis plebi perutilem, ibique odeum costruere, e quo in aediculam prospectus pateat. Quum autem impense cupiat, ut illo ex odeo non ipse solum, sed ejus nepotes ac posteri sacrosancto missae sacrificio interesse, ac diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere, suppliciter a Nobis petiit ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur accepto testimonio tuo, ex quo Nobis innotuit res ita se habere, prout expositae, auditoque a secretis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium s. concilii Tridentini interpretum, oratoris postulationibus annuere non gravamur. Quapropter peculiari eum beneficentia prosequi volentes ac singulos quosque quibus hae literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tibi, venerabilis frater, has partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica facultatem facias cujus ope ipse presbyter Petrus Scafati, ejusque nepotes, ac qui ex eorum recto stipite in perpetuum descendunt, nec non consanguinei, et affines cum eis vitam degentes ac familiares, diebus quibuscumque per annum festis ex commemorato odeo sacerdoti adstantes dum sacrum in aedicula facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero, curae erit ut tum lignea, tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico, et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui, volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus atque mandamus non obstantibus constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXVII.

Dat. die 3. aug. 1830. Anno II.

Concessio tituli et privilegiorum archiconfraternitatis facta sodalitio sub invocatione sancti Antonii abbatis civitatis Januensis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Januensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper curarunt dilecti filii officiales et sodales confraternitatis s. Antonii abbatis sive quinque sacrorum vulnerum D. N. J. Christi in ista Januensi civitate rite, prout asseritur, erectae plurimum divini cultus augmento, fidelium spirituali utilitati profuturum si praefata confraternitas titulo, et privilegiis archiconfraternitatis per nos ditaretur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur accepto testimonio vicarii capitularis ecclesiae Januensis, tunc sede illius archiepiscopali vacante ex quo Nobis innotuit res ita se habere, prout expositae, praefatos oratores speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, venerabilis frater, per praesentes committimus, ut veris existentibus narratis, et si id in Domino expedire censueris, auctoritate Nostra apostolica confraternitatem praedictam s. Antonii abbatis sive quinque sacrorum vulnerum D. N. J. Christi nuncupatam in archiconfraternitatem cum omnibus juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis et consuetis sine tamen cujusquam praejudicio, perpetuo erigas, et instituas, ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae officialibus, et confratribus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erectas, eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes ipsi confraternitati sic in archiconfraternitatem a Nobis erectae concessas communicare libere, et licite ac valide possint, et valeant, auctoritate pariter Nostra facultatem concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit memoratae confraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXVIII.

Dat. die 3 aug. 1830. Anno II.

Concessio tituli, et privilegiorum archiconfraternitatis favore sodalitii sub titulo Nostrae Dominae Salutis civitatis Januensis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Januensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper curarunt dilecti filii officiales, et sodales confraternitatis sub titulo Nostrae Dominae Salutis nuncupatae in ecclesia s. Mariae Pacis extra portas istius Januensis dioecesis rite, prout asseritur, erectae plurimum divini cultus augmento, fidelium spirituali utilitati profuturum, si praefata confraternitas titulo, et privilegiis archiconfraternitatis per Nos ditaretur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur, accepto testimonio vicarii capitularis ecclesiae Januensis, tunc sede illius archiepiscopali vacante, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, praefatos oratores speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommuni-

cationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, venerabilis frater per praesentes committimus, ut, veris existentibus narratis, et si id in Domino expedire censueris, auctoritate Nostra apostolica confraternitatem praefatam Nostrae Dominae Salutis nuncupatam in archiconfraternitatem cum omnibus juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis, et consuetis, sine tamen cujusquam praejudicio, perpetuo erigas, et instituas, ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae officialibus et confratribus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erectas eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis VIII. praedecessoris Nostri aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes ipsi confraternitati sic in archiconfraternitatem a Nobis erectae concessas communicare libere et licite ac valide possint, et valeant, auctoritate pariter Nostra facultatem concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit memoratae confraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXIX.

Dat. die 4. aug. 1830. Anno II.

Confirmatio statutorum congregationis musicorum urbis sub invocatione sanctae Ceciliae.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. §. 1. Bonum est confiteri Domino Deo virtutum, et psallere nomini Altissimi ad annuntiandam mane misericordiam ejus, et veritatem ejus per noctem in decachordo psalterio, cum cantico in cithara. Pia itaque hujusmodi veteris legis consuetudo quum in Catholicam Ecclesiam invecta, non solum in constitutis ecclesiis praefinitis diebus et horis, sed in aliis interdum alicujus caelitis memoriam solemniter recolentibus magno cum pietatis incitamento psallitur Deo in tympano, et choro, in chordis, et organo.

Memorantur providentiae a praedecessoribus captae ad decorem congregationis augendum. §. 2. Quoniam vero vocum concentus, suavesque modi consonent cum decore domus Dei sane oporteat, Romani pontifices omnem curam in id etiam contulerunt, quos inter commemorare Nobis lubet, Gregorium XIII. qui s. Concilii Tridentini decreto, *de observandis et evitandis in celebratione missae*, inhaerens, ubi praeter alia praescriptum est ab ecclesiis eas missas arceri, in quibus sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquod miscetur, suam tribuit auctoritatem, ut hic in urbe Musicorum societas, seu congregatio institueretur, quae postea in s. Caeciliae patrocinio posita, ejus nomen adepta est. Praeterea Gregorium XV., Urbanum VIII., a quibus eadem congregatio confirmata, item Innocentium XI., qui per suas apostolicas literas annulo piscatoris obsignatas, ac datas die decima octava maji anni millesimi sexcentesimi trigesimi quarti illius leges probavit; quibus quidem nonnullae aliae ab Clemente XI. aliis hujusmodi literis datis die nona septembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi sexti fuerunt adjectae. At ea tamen est humanae naturae conditio, ut nihil tam scite, tamque prudenter constitui possit, quin temporis progressu aliquid vel immutandum, vel emendandum videatur.

Quomodo statuta prodierint expunitur. §. 3. Hinc pluribus exortis controversiis de recta praeceptorum, ac decretorum, de qui-

bus agitur observantia, atque custodia, postea quam in totius coagregationis conspectu, atque approbante Johanna Francisco episcopo Ostiensi et Veliterno, S. R. E. cardinali Albani, nuncupato ejus patrono, quaedam ex iisdem legibus, seu decretis fuissent declarata, quaedam moderata, et explicata, ac nonnulla subrogata, haec eadem ipsa fel. rec. Pius VI. praedecessor Noster per alias similes literas datas die decima sexta septembris anni millesimi septingentesimi nonagesimi quarti benigne confirmavit, ac typis edenda permisit, quae quidem sunt inseqnentis exempli, videlicet.

De observantia statutorum.

I. §. 4. Che qualunque persona tanto ecclesiastica, che secolare che al presente esercita ed in avvenire eserciterà la professione della musica, sì nelle cappelle di servizio continuo, come in ogni altra chiesa di Roma, debba osservare li statuti della nostra congregazione ed obbedire non solo ai presenti decreti, ma a tutti gli altri ordini, e decreti da farsi in avvenire dalla medesima, sotto le pene, che si diranno in appresso, volendo che il presente decreto comprenda indifferentemente i maestri di cappella, organisti, cantori e istromentisti.

De validitate congregationis.

II. §. 5. Che per esser valida la congregazione generale, dovrà passare il numero di quaranta, e tra questi dovranno esser presenti due guardiani almeno; si stabilisce, e si aggiunge, che sia in facoltà dell' eminentissimo protettore, o primicerio di supplire anche al numero delli suddetti quaranta professori, quando ne mancassero due, o tre, anche quattro, ma non più, di modochè colla dispensa, o approvazione di uno delli suddetti superiori, basti l' intervento dei due guardiani e di trentasei professori per fare, che sia valida la suddetta congregazione generale.

De officiis ibus congregationis.

III. §. 6. Che nella congregazione segreta non si ammettino altro, che li guardiani, camerlengo, segretario, sindaci, infermieri, esaminatori, ed altri consiglieri da eleggersi col bussolo nella congregazione generale, che in tutto fanno il numero di ventisei, ed acciò sia valida la congregazione segreta, dovranno esser presenti più di quindici, e tra questi due guardiani almeno, o per ovviare alle confusioni, che potessero nascere in congregazione generale, potrà la congregazione segreta eleggere anticipatamente per ciascheduu officio due fratelli, come per esempio per guardiani, due maestri di cappella, due cantori, due istromentisti, per segretario due altri, per camerlengo due altri, e così di tutti gli altri officj per proporli in congregazione generale, acciò si elegga per bussolo quale dei due averà più voti favorevoli, ed ogni anno dovranno rinnovarsi gli officiali. Potrà la congregazione segreta fare li decreti, che saranno necessarj pel buon governo della congregazione tanto nello spirituale, che nel temporale, e questi decreti dovranno proporsi in congregazione generale, ed essendo approvati dalla medesima, o dalla maggior parte di essa, ed ottenuto il consenso dell' eminentissimo protettore, o di monsignor primicerio, obligheranno tutti li fratelli alla rigorosa osservanza sotto le pene arbitrarie all' eminentissimo protettore o monsignor primicerio suddetto, e della congregazione suddetta.

De modo celebrandi festum protectricis.

IV. §. 7. Che la congregazione segreta avendo da far la festa di s. Cecilia, debba eleggere i maestri di cappella, che dovranno fare la musica nel modo, che eleggerà gli officiali, cioè, se avranno da fare tre servizi eleggerà sei maestri di cappella ad arbitrio della medesima, due per il primo vespero, due per la messa, e due per il secondo vespero, e poi in congregazione generale si tiri a sorte a chi dei due toccherà ciascun servizio, che in caso di morte, o infermità, o altro legittimo impedimento di uno degli estratti, il guardiano dei maestri di cappella sarà obligato supplire in luogo di quello senza altra elezione, o estrazione.

De guardianis confirmandis quomodo...

V. §. 8. Che ogni anno dovranno esservi quattro guardiani cioè uno maestro di cappella, l' altro organista, l' altro cantore, l' altro istromentista, e si determina, che delli quattro guardiani, due debbano restar confermati nell' anno seguente per miglior istruzione delli due nuovi che si eleggeranno, e così in avvenire, e però essendo stati nel presente anno confermati il maestro di cappella, ed il musico, nell' anno seguente si confermeranno l' organista, e l' istromentista, e così in avvenire.

De albo professorum servando.

VI. §. 9. Che si debbano descrivere in una tabella tutti li professori di musica aggregati alla medesima congregazione, e detta tabella debba stare esposta perpetuamente nella stanza dell' archivio di detta congregazione.

De poenis quibus subjiciuntur recusantes munera.

VII. §. 10. Che ciascun fratello sia obligato accettare l' officio, che gli sarà conferito dalla congregazione, e ricusando, senza giuste cause da approvarsi dalla medesima, se sarà officio di festaroli, sia penato di scudo uno, se di guardiano, sia penato di una piastra, e se di altro officio, sia penato di due libbre di cera, da applicarsi le dette pene in opere solite a farsi dalla congregazione.

Idem pro illis qui congregationibus minime intersunt.

VIII. §. 11. Che tutti siano obbligati di intervenire alle congregazioni generali, e quelli che saranno di congregazione segreta siano tenuti all' una, come all' altra, e mancando alcuno senza causa legittima da allegarsi in tempo, almeno appresso uno dei detti guardiani, debba ogni volta pagare una libbra di cera alla congregazione.

De taxis solvendis.

IX. §. 12. Che tutti li maestri di cappella di Roma in sequela anche degli altri decreti per l' addietro fatti sopra l' osservanza del pagamento dell' annua elemosima, debbano pagare un grosso il mese, e tutti gli altri di congregazione generale, e professori debbano pagare mezzo grosso il mese, non eccettuando alcuno, tanto istromentista d' arco, come di fiato, timpano, e di qualunque altra sorta, dovendo questo danaro servire alle opere pie, ed altri obblighi della congregazione, deputando perciò il camerlengo pro tempore all' esazione della medesima, il quale sarà sindacato ogni anno.

De taxa pauperibus praestanda.

X. §. 13. Che detta elemosina si paghi indispensabilmente da tutti quelli, che eserciteranno in qualsivoglia modo la professione di musica, e datosi il caso, che ci fosse alcuno sì povero, il quale non potesse corrispondere a questa benchè tenue contribuzione, in tal caso non sia tenuto farla del proprio, ma si ritenga dall' elemosina, che alli professori poveri si distribuisce dalli guardiani pro tempore, e non altrimenti ec.

De secreto servando.

XI. §. 14. Che tutti quelli di congregazione segreta non possano nè palesare, nè discorrere dei trattati, che si sono fatti, e delle risoluzioni che si sono prese, se non con chi sarà stato presente, e contravenendo, sia penato ad arbitrio della congregazione segreta.

De registro a camerario asservando.

XII. §. 15. Che il camerlengo pro tempore debba tenere un libro in buona forma, nel quale dovrà notare tutti li nomi e cognomi delli maestri di cappella, cantori, istromentisti, e professori come sopra; nel quale dovrà diligentemente registrare tutti li danari, che si esigeranno per la suddetta elemosina in modo, che portandosi detto libro nella congregazione, si possa da ciascheduno vedere chi avrà pagato e soddisfatto; e così pure debba tenere il conto a parte delle pene, che si saranno riscosse, ed esatte in tutto l' anno, con rendere dopo finito il tempo, il conto delli suddetti denari.

De subrogatione officialium.

XIII. §. 16. Che la mutazione degli officiali si debba fare nella congregazione generale più prossima avanti la festa di s. Cecilia, ed in tal forma osservisi nell' avvenire nel modo, che prescrivono gli statuti di detta congregazione.

De musica exequenda in ecclesia congregationis.

XIV. §. 17. Che la musica della loro chiesa si debba stabilire con numero fisso tanto di musici, come di istromentisti a guisa di turno, ripartendosi egualmente le parti, e si debbano avvisar tutti con biglietto, o bollettino, il qual biglietto ciascheduno debba portarlo seco nel venire al servizio della chiesa, e consegnarlo al camerlengo, che sarà deputato a tale effetto, acciocchè possa riscontrarsi chi avrà mancato, e volendo alcuno mandare un' altro in suo cambio, debba scrivere dall' altra parte del medesimo bollettino il nome di chi manderà, acciò si riconosca, se sarà stato equivalente, e niuno possa partire dal servizio senza licenza del maestro di cappella, e chi trasgredirà sarà penato di una libbra di cera.

De exactione taxarum.

XV. §. 18. Che li signori maestri di cappella siano obbligati riscuotere ogni mese dal loro musici subordinati, li danari delle tasse, contribuzioni, ed altri pesi imposti dalla congregazione, e consegnarle al camerlengo, con ritirarne ricevuta.

De coadjutoriis praestandis, et compendiis.

XVI. §. 19. Che li signori maestri non possino levare le musiche alli professori già soliti servire nelle chiese, quando non vi sia alcun demerito, ed in caso d' impotenza, o per essere abbandonati dall' età avanzata, allora sia obbligato il maestro ricevere altro professore in cambio a suo arbitrio, con dargli la metà del danaro, e l' altra metà al proprietario, il quale debba sempre riconoscersi, ed in caso, che al maestro gli venga minorata la musica, allora il maestro volendo privarsi di qualche professore dovrà levare li più novizj, o meno necessarj finchè la mu-

sica tornerà al suo primiero prezzo, nel qual caso tutte le cose debbano ritornare, come erano antecedentemente in detta musica, e tali professori debbano essere reintegrati dal suddetto maestro, presentandogli l'occasione di qualche altra musica nuova, cioè triduo, o pure titolo, o sagrestane, ed in mancanza sia penato ad arbitrio della congregazione segreta.

De poena infligenda ei qui alium supplantaverit.

XVII. §. 20. Che dandosi il caso, che qualche professore istromentista si facesse lecito di farsi mettere per impegno, o raccomandazione in qualche musica, e che il maestro di cappella fosse forzato dai superiori di detta musica a dover mettere detto professore istromentista, e dovesse respettivamente per tale raccomandazione escludere alcuno dei professori soliti, sia obbligato, e penato detto professore istromentista messo a forza, di pagare paoli dodici a quel professore solito andare in detta musica, fino a tanto che sarà rimesso al suo posto, il quale per sua cagione, ed impegno sarà stato cassato, ed a tale effetto gli sia lecito, e possa sequestrargli detto danaro alli maestri di cappella in quelle funzioni, che detto professore istromentista farà, ed anche possa convenirlo in giudizio.

De taxis servandis.

XVIII. §. 21. Che in sequela del decreto antico con breve concesso dalla Santità di Nostro Signore papa Clemente XI. a parte 19, che nelle musiche le quali si facevano a san Carlo a' Catinari si pagava paoli cinque per servizio a quelli del primo coro, e paoli quattro a quelli del secondo coro, ed essendo peraltro deteriorata in parte molte musiche, si è stabilito, che li signori maestri di cappella non possano minorare il pagamento di paoli tre per servizio, senza però rimuovere tutte quelle musiche, che da tanti anni sono solite, cioè di paoli otto, dieci, dodici, e quindici per tre servizj, come ancora, che nelle nuove musiche di titoli, e tridui debbano pagare paoli quattro per servizio, ed in mancanza sia penato ad arbitrio della congregazione segreta.

De praelatione magistris concedenda.

XIX. §. 22. Che li signori maestri non possano levare le musiche ad altro maestro, eccettuate quelle di titolo e sagrestane, le quali sono movibili, ed in caso che un maestro con impegno le levi all'altro, il maestro che leverà la musica, sia penato dalla congregazione di scudi sei, e se qualche maestro userà artificio, o gabala per levare qualche musica a qualche altro maestro, che era solito di farla, oltre la suddetta pena, siano tenuti li professori istromentisti, e cantanti, ed anche penati ad arbitrio della medesima congregazione segreta.

De non recipiendis.

XX. §. 23. Che non si possa ammettere alcun professore alle musiche ecclesiastiche senza essersi fatto aggregare in detta congregazione come fratello, e senza aver pagato nell'ingresso la solita elemosina di paoli tre, o pure una libbra di cera, sotto pena al maestro di cappella, che l'inviterà, e riceverà a dette musiche di pagare scudi tre da applicarsi in opere pie solite a farsi dalla detta congregazione.

De exactione redditunm congregationis.

XXI. §. 24. Che essendosi negli antichi statuti, e rispettivamente nei suddetti capitoli stabilita l'elemosina di un grosso al mese alli maestri, e mezzo grosso alli cantori, ed istromentisti per ciascun professore, e così pure essendosi stabilite diverse pene pecuniarie contro chi ricusa gli offizj, o manca alle destinate funzioni, o in altro modo contraviene agli antichi, e nuovi decreti, quali elemosine e pene sono la maggiore e quasi l'unica entrata della congregazione pel mantenimento del di loro altare di santa Cecilia, e per le solennità, funzioni e spese che occorrono, si deve dichiarare, come si dichiara, che ognuno debba pagare puntualmente le suddette elemosine decorse, e pene incorse come sopra, senza eccezione, o dilazione alcuna, altrimenti passati otto giorni dopo finito il mese, e dopo incorsa la pena, si proceda alla esecuzione senza citazione, o intimazione alcuna, ma solamente si porti nell'uffizio di me notaro la nota dei contravenienti, firmata da due guardiani, sottoscritta dal camerlengo, e secondo la detta nota esibita in detto ufficio senza altra citazione si spedisca, ed eseguisca il mandato per le somme contro le persone in detta nota contenute irremissibilmente, e questo, perchè si tratta di elemosina di causa pia; e se qualche professore per abitare in qualche ragguardevole corte, o per aver familiarità di qualche gran personaggio, o per rispetto, che in altra maniera esigesse dagli esecutori, volesse con ciò esimersi dall'elemosine, e pene suddette in odio di questa sua ostinata contumacia di non voler far quello, che gli altri fanno, sia cassato dalla congre-

gazione, nè possa alcun maestro di cappella chiamarlo in avvenire ad alcuna musica sotto pena di scudi sei, e se il contumace fosse maestro di cappella, nessun musico, o istromentista possa andarlo a servire sotto pena di scudi tre da applicarsi in beneficio del di loro altare.

De observantia aliorum statutorum.

XXII. §. 25. Che non s'intenda colla presente aggiunta di decreti mai derogato a quanto si dispone e si è disposto negli statuti approvati dalla s. m. di Clemente XI, ed a tutti li decreti fatti sotto li dì 10 del mese di settembre 1767, ma quelli si abbiano onninamente da osservare, particolarmente in tutte quelle cose, nelle quali in questi presenti capitoli non si è rinnovato, e decretato, sotto le pene ivi, ed in questi presenti romminate.

De casibus non praecogitatis.

XXIII. §. 26. Che qualora accadesse qualche fatto, o caso, che non fosse compreso nei statuti, nei decreti, e nei presenti capitoli, debba in detto caso sentirsi la congregazione segreta per indi giudicarsi, o dall'eminentissimo cardinal protettore, o da sua eccellenza reverendissima monsignor primicerio pro tempore, quali abbiano tutte le facoltà di decidere, e di derogare quanto faccia di bisogno in detti casi particolari per scansare qualunque controversia, o litigio, che possa insorgere sopra i medesimi, e ognuno debba stare a qual tanto si stabilirà da detti superiori.

De jure procedendi more fiscali.

XXIV. §. 27. Che contro li contravventori si debba venire alla spedizione di mano regia more camerali. Quali capitoli di già come sopra letti, e maturamente considerati dalli suddetti signori congregati, per maggior validità, e per l'approvazione di essi fu corso il bussolo colla individuazione che la palla bianca denotasse l'approvazione, e la negra la disapprovazione di tutti li suddetti capitoli, e raccoltisi li voti furono ritrovati voti bianchi numero settantanove, e negri numero venti, sicchè per maggioranza di voti bianchi furono in tutto, e per tutto approvati li suddetti capitoli. E ciò fatto, e recitate le preci, e rese le grazie all'Altissimo se ne partirono etc. Il cardinale Albani protettore « monsignore Albani primicerio » Giuseppe Janacconi guardiano « Tommaso Borghesi guardiano » Sante Pascoli guardiano « Cresenzo Capanna guardiano » Domenico Biglioni camerlengo « Giuseppe Trivellini segretario.

Quomodo statuta hujusmodi negligi consueverint exponitur.

§. 28. Quamquam vero hae leges a praedecessoribus Nostris confirmatae vigere omnino debeant, Musicorum congregatio non levi cum animi moerore jamdiu videt hic in urbe inductos fuisse abusus, plures enim privilegia fingentes, vel sacrificii preces, vel psalmos, atque hymnos musicis numeris ordinatos, ac varietate sonorum temperatos, saepenumero domo orationis indignos, modecari audent, eosque illius artis amatoribus exequendos committere, quod perfecto dum eorum sodalibus musicen exercentibus maximo est damno, veri ecclesiastici cantus exitium affert, et quodammodo templum sanctum Dei profanum facit.

Expositio precum.

§. 29. Ut igitur hisce incommodis aliqua ratione possit provideri sodales commemoratae congregationis suppliciter a Nobis petierunt, ut eas leges et Nos ipsi ex Nostra indulgentia confirmare velimus, simulque illis novam adjungere, sciliret ut multa trium nummorum scutatorum monetae Romanae, quam congregatio reposcit ab ejus sodalibus legum violatoribus, omnes qui Romae in sacris aedibus vel musicum concertum moderantur, vel modulamine vocis, vel fidibus, ac tybiis canunt, quin a congregatione fuerint approbati, plectantur.

Tenor concessionis.

§. 30. Nos ergo rerum adjunctis idcirco perspectis, auditoque dilecto filio Nostro Josepho S. R. E. diacono cardinali Albano nuncupato, quem negociis status praefecimus, ejusdem congregationis jure, meritoque patrono, eorum postulationibus, ac votis benigne annuere statuimus. Quapropter oratores peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ut in sanctuario Dei, et aula coeli omnia sanctitudinem, ac majestatem praeseferant; utque in divinarum laudum cantu audientes ad admissarum culparum dolorem et ad pietatis sensum excitentur, plena auctoritate Nostra apostolica leges suprascriptas pro congregatione Musicorum hic in urbe, quae a s. Caecilia nomen accipit, approbamus, et confirmamus, iisque perpetuum apostolicae firmitatis robur

adjicimus, ac singulos quosque juris vel facti defectus, si qui forsan in eas irrepserint, supplemus, atque sanamus. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica praecipimus, ut multa contra ejus sodales qoi leges violarint lata, in eos quoque irrogetur, qui ob eadem congregatione nequaquam probati urbanis in ecclesiis quibuscumque, cantum, ac sonum exercere audeant, vel uti musices magistri, vel cantores, vel fidicines. Ab hac tamen multa immunes esse declaramus qni speciali aliquo privilegio ab hac apostolica Sede fuerunt donati, quod quidem vel aperte constet, vel adesse doceatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 31. Haec volumus, atque mandamus, decernentes hasce literas praesentes, ac statuta praeinserta, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinaries, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, at auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 32. Non obstantibus praetecitis Innocentii, Clementis et Pii literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non congregationis, de qua facta est mentio, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, ac consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum teneres praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 33. Volumus autem, ut harum literarum examplis etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso, haberetur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima quarta mensis augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXX.

Dat. die 24. aug. 1830. Anno II.

Confirmatio tituli, et honoris principis Romani concessi d. Emmanueli Godoy Hispano, ejusque descendentibus in infinitum.

Dilecto filio Emmanueli Godoy.

Pius PP. VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Quum Nos benignitate et officiis te, tuumque filium naturalem legitimatum, cui nomen Emmanuel, complexi sumus, ex apostolicis Nostris literis annulo piscatoris obsignatis, altera videlicet die decima octava decembris elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi noni, et altera die vigesima secunda ejusdem mensis et anni datis facile est dignoscere. Nos enim tui generis nobilitatem, et sinceram tuam in hanc apostolicam Sedem fidem ac devotionem prae oculis habentes, ac fel. rec. Leonis pp. XII., decessoris Nostri, qui filio tuo Emmanueli illegitimi ortus maculam benigne abstersit, eumque ad quaslibet honores et dignitates sive ecclesiasticas, sive civiles, sive militares capessendas, certis modo et forma in suis apostolicis in simili forma brevis die septima decembris millesimo octingentesimo vigesimo quarto datis literis expressis, idoneum haberi voluit, vestigiis inhaerentes, prima memorata Nostra litera te latifundii vulgo Bassano appellati, in quo titulus principatus inerat publicis tabulis, prout asserebas, a creditoribus nobilis familiae Giustiniani coempti, principem renuntiavimus, facta tibi facultate nomen, arma, insignia principis Romani gerendi, ac successores tuos in dicto principatu sive inter vivos, sive testamento designandi eodem cum titulo, iisdemque cum honoribus ac privilegiis ad successores transferendis. Ast, sicut Nobis exponi curasti cum dilectus filius Laurentius Giusti-

niani facta creditoribus seu latifundii Bassani venditoribus lite in tribunali dilectorum filiorum palatii Nostri apostolici auditorum vi sententiae, immissionem in specie ad omnia bona primogenituram Giustiniani conficientia, quae inter latifundium praefatum Bassano recensetur, nuper obtinuerit, tu dubitans, an in exitu litis de titulo, et privilegiis principatus praedicti disceptari possit, suppliciter a Nobis postulasti, ut salvo cujuscumque jure, etiamsi latifundium Bassano tibi desit, titulo, privilegiis, et honoribus Romani principis te nihilominus, tuumque filium Emmanuelem legitimatum, ejusque filios, et descendentes in perpetuum ditatos semper esse declaramus, tibique praeterea si forte excidas a possessione latifundii Bassano, facultatem conferendi titulum et honores principatus, praevia hujus sanctae Sedis auctoritate et venia, in aliud latifundium seu latifundia, valorem Bassani adaequantia in illius locum sufficere malueris, benigne pariter tribuamus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur te novis favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurreris, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praevia confirmatione praedictarum Nostrarum literarum, quae semper in suo robore permaneant, sine tamen alieni juris praejudicio auctoritate apostolica vi praesentium statuimus atque decernimus, te, etiamsi latifundium Bassano tibi deficiat, titulo nihilominus, nomine, armis, insignibus, honoribus, privilegiis, et praerogativis Romani principis quibuscumque uti et frui posse, et ita quidem, ut non solum tu, sed filius etiam tuus naturalis legitimatus Emmanuel, ejusque filii et descendentes in perpetuum veri et legitimi principes Romani cum iisdem tuis privilegiis, et juribus habeantur. Ac praeterea tibi facultatem conferendi, praevia hujus sanctae Sedis auctoritate et venia, titulum et honores principatus ad latifundium seu latifundia ejusdem valoris, quae in locum Bassani sufficere malueris, dicta Nostra auctoritate concedimus et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, ac tibi, tuoque filio Emmanueli ejusque filiis et descendentibus in perpetuum quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, legibus quoque imperialibus, privilegiis, indultis, et literis apostolicis quibuslibet personis quocumque tenore et forma, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere et in specie, ac alias in contrarium facientibus quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plena et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXXI.

Dat. die 13 aug. 1830. Anno II.

Facultas tributa clero Sabaudo solvendi onera super ecclesiasticis bonis imposita tam ordinaria, quam extraordinaria.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut Nobis exponi curavit venerabilis frater archiepiscopus Calaritanus, uti praeses ecclesiastici ordinis in regno Sar-

diniae, jam in exitu sit nuperum trienoium, ex quo coetus sive ordines illius regni, ex quibus constat, ecclesiasticus nempe, civilis, ac militaris, regi quotannis pendunt muneris nomina scutatorum Romaoi ponderis sexagies mille, quod munus tertio quoque anno ab ordinibus praefatis regi offerendum decernitur, et muneris ordinarii nomen apud ipsos obtinet, cui usque ab anno millesimo septingentesimo nonagesimo septimo cum regio fisco, regiaeque familiae majori pecunia opus fuerit, annuum ac superiori par munus accessit, quod extraordinarium vocarunt, pariterque tertio quoque anno ab ordinibus decretum est, ac partem in illud ecclesiastici iidem viri conferre solent, accedente tamen apostolico indulto prout in memorato nupero triennio apostolicae fel. rec. Leonis pp. XII. decessoris Nostri in simili forma brevis die prima septembris millesimo octingentesimo vigesimo sexto datae literae in id opem veniamque contulerunt, Quumque ordines praefati ea offerri munera ordinaria per aliud triennium, extraordinaria vero per alios octodecim annos, statuerint, suppliciter a Nobis archiepiscopus petiit, ut pro ea parte pecuniarum, quae conferenda erit praefato futuro tempore ab ecclesiasticis viris, id auctoritate Nostra permissum ac ratum esse velimus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos praedecessorum Nostrorum exempla sectantes, et habita praesertim ratione pietatis, et religionis, ac sincerae fidei, et devotionis in hanc sanctam Sedem carissimi in Christo filii Nostri Caroli Felicis Sardiniae regis illustris, omnes et singulos, quibus praesentes Nostrae literae favent singulari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes ejusdem archiepiscopi et universi ordinis ecclesiastici votis et precibus annuentes, facultatem per praesentes facimus, et impertimur ad triennium quoad munera ordinaria, ad octodecim vero annos quoad extraordinaria, a die cessationis ultimae prorogationis, utrumque munus respicientis, incohandos, ut ecclesiastici regni Sardiniae viri utrumque, de quo actum est, munus annuam summam conficiens nummorum scutatorum Romani ponderis centum viginti millium, pro ea parte, quam in illud ecclesiastici iidem viri conferre solent ex bonorum sacrorum redditibus, carissimo in Christo filio Nostro Carolo Felici Sardiniae regi illustri offerant, sistant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque ad quos spectat, et spectabit pro tempore planissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXXII.

Dat. die 17. aug. 1830. Anno II.

Participatio privilegiorum jam concessorum altari privilegiato s. Laurentii extra moenia urbis favore altaris aeque privilegiati ecclesiae s. Mariae del Tufo dioecesis Tusculanae.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius rector ecclesiae seu sanctuarii B. Mariae Virginis del Tufo nuncupatae Tusculanae dioecesis, quod cum in dicta ecclesia, sive sanctuario altare ejusdem beatae Mariae virginis denominationis praefatae sacrum reperiatur existens illud omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, quibus altare in ecclesia s. Laurentii extra moenia urbis pro animabus a purgatorii poenis liberandis specialiter privilegiatum reperitur locupletatum, per Nos con-

decorari summopere coepit: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur aliunde considerantes quantopere hoc ad religionis pietatisque augumentum, nec non ad uberius animabus in purgatorio detentis impertiendum suffragium cedat, ejusdem exponentis, specialem hac super re gratiam facere volentes, supplicationibus inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, praedictas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes aliasque spirituales gratias et privilegia, quibus altare supradictum in praefata ecclesia s. Laurentii extra moenia urbis a summis pontificibus praedecessoribus Nostris pro animabus a purgatorii poenis liberandis specialiter condecoratum reperitur, altari supradicto in ecclesia seu sanctuario dictae dioecesis existenti, servatis tamen de jure servandis, nec non omnibus pro illarum consequutione praescriptis rite adimpletis, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 17 aug. 1830. Anno II.

CXXIII.

Concessio indulgentiae assequendae ab iis, qui praeerunt functioni ablutionis pedum feria quinta in Coena Domini facienda fratribus confraternitatis nuncupatae de Schiavi civitatis Barchinonensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus, pius mos invaluerit apud confratres confraternitatis vulgo de' Schiavi sanctissimi Sacramenti in ecclesia sanctae Theresiae monialium ordinis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo excalceatarum nuncupatarum civitatis Barchinonensis canonice ut asseritur, erectae, ad imitandum Domini Nostri Jesu Christi humilitatis et charitatis exemplum, qui postquam surrexit a coena misit aquam in pelvim et coepit lavare pedes discipulorum suorum dans eis exemplum, uti et ipsi ita facerent, confratribus confraternitatis hujusmodi singulis annis feria quinta in Coena Domini similiter lavare, ac abstergere pedes consueverint, atque intendunt.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos quibus summopere cordi est, ut christifideles sectando vestigia Salvatoris Nostri ad perfectionis apicem pervenire conentur, coelestes Ecclesiae thesauros super eos aperire studemus. Omnibus itaque et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui memoratam ecclesiam feria quinta in Coena Domini devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, piumque exercitium praefatum vel exercuerint, vel eidem pie adstiterint, ac sermonem de hac re per confratrem sacerdotem recitandum mature serioque audiverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 20 aug. 1830. Anno II.

CXXIV.

Imminutio festorum in dioecesibus Hildesiensi, et Osnaburgensi.

Venerabili fratri Godehardo Josepho Episcopo Hildesiensi, et ecclesiae Osnaburgensis administratori.

Pius PP. VIII.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Praeceptum de observatione sabatbi frequenter in lege reperitur, ut bomo id diligenter observet, et veram requiem adipisci laboret. Quapropter Nos, qui vicariam Christi bic in terris gerimus operam nibil praetermittere pro viribus conamur, ut catbolici quique sabatba Domini sanctificent, interdum tamen bac in re novum praescribimns ordinem, vel jamdiu susceptum moderamur, ut pro re, et tempore, pro locorum ac populorum conditione, quantum fieri potest, eorum bono consulamus.

Expositio precum. §. 2. Ex precibus tuis, quas Nobis nuper offerendas curasti, satis superque constat, in dioecesi tua Hildesiensi aeque ac in alia Osnaburgensi, quam tibi administrandam commisimus, ob immutatos progressu temporis earum limites, magnum vigere de celebrandis festis discrimen. Ex quo fit, ut in una eademque dioecesi dum alicubi festus dies solemniter celebratur, alicubi profestus babetur, et dum oppidanis compluribus operi tribuere concessum est, vicinis interdictum. Verum quum plura incommoda, plura etiam scandala populis istarum dioecesium inde proficiscantur, in tuis, regiique supremi regiminis votis esset, ut istbic idem institueretur festorum ordo, et numerus, aeque ac in dioecesibus Borussiae regni. Suppliciter ergo a Nobis petiisti, ut in utraque dioecesi de quibus agitur, plures dies festos ad proximam dominicam transferamus, in nonnullis autem aliis festis diebus, ad pauperum inopiam sublevandam, sacro audito, et divinis antemeridianis absolutis, servilia opera permittamus.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur catbolicorum Hildesiensium, et Osnaburgensium usui, et conscientiae prospicere statuimus, tuasque postulationes maturo consilio, ac perpensis omnibus benigne excipientes, auctoritate Nostra apostolica tibi, venerabilis frater, concedimus atque mandamus, ut singulis quibusque locis utriusque dioecesis unum eumdemque festorum ordinem enuncies, atque edicas; scilicet ut festa immobilia Circumcisionis Domini, Epiphaniae, sanctorum Petri et Pauli apostolorum, Assumptionis beatae Mariae virginis, Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ac s. Stephani protomartyris praefinitis ab Ecclesia diebus celebrentur; caetera vero Purificationis nempe, Annuntiationis, Nativitatis, et Conceptionis beatae Mariae virginis, nativitatis s. Joannis Baptistae, ac dedicationis s. Michaelis Archangeli, nec non festa sanctorum patronorum ecclesiarum, quibus in locis buc usque celebrata sunt, in dominicam vel proxime superiorem, vel insequentem transferre valeas. Praeterea festa mobilia, videlicet resurrectionis Domini, et feria secunda quae proxime sequitur, itemque Ascensionis, Pentecostes, ac feria secunda, quae pariter proxime sequitur, nec non sanctissimi Corporis Christi, diebus, quibus occurrunt; celebrentur. Quoniam vero mos est in diversis istarum regionum locis non eodem die babendi supplicationes ad propitiandum Deum, uti segetes bene eveniant, eadem auctoritate Nostra apostolica tibi facultatem facimus transferendi banc celebritatem, vel festum illis in locis, quibus adbuc celebratum est, ad feriam secundam post dominicam Pentecostes. Ad baec indulgemus, ut in festo s. Stepbani protomartyris, feria secunda Paschalis, ac feria secunda Pentecostes, numquam tamen in dominicis, ac festis diebus nativitatis Domini, et Ascensionis, Assumptionis beatae Mariae virginis, beatorum Petri et Pauli apostolorum, atque Omnium Sanctorum catbolici pauperes, qui diurno labore victum cultumque sibi comparant, postquam missae sacrificio interfuerint, et divina antemeridiana absoluta, operibus servilibus possint vacare.

§. 4. Haec ergo sunt quae pro majori utriusque dioecesis bono tibi edicenda praecipimus, plane rati, te nibil non aggressurum; ut dies festi, qui divino cultui dicati sunt, sacramentorum usu, coelestium rerum commentatione, omni denique pietatis, ac religionis sensu colantur, bujusmodi spe allecti tibi, ac utrique gregi tibi concredito apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo. Monitum speciale.

CXXV. Dat. die 20. aug. 1830. Anno II.

Concessio tituli doctoris pro santo Bernardo Claraevallis abbate.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Quod unum ad divi Bernardi Claraevallensis abbatis honorem et laudem plene cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; quod erat in votis inclyto monachorum Cistercensium ordini, de hac s. Sede semper optime merito, cujus propagator ac decus praecipuum s. abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum, ac sacrarum literarum peritia maximo fuit adjumento, quum tot ipse volumina ediderit, apostolicam Sedem, summosque pontifices studio, et ardore maximo contra schismaticos adjuverit, et debacchantium ea aetate novatorum errores voce et calamo oppugnaverit, atque extinxerit, ac quoscumque Romanae Ecclesiae osores sua doctrina retuderit; quod venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, humilitati Nostrae perficere datum est. Licet enim pluribus ab hinc saeculis, et vigioti tantum annis elapsis a pretiosa illius morte, a fel. rec. Alexandro III. praedecessore Nostro, sanctitate vitae, miraculisque cognitis albo sanctorum fuerit ipse adscriptus, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus; adhuc tamen ejus virtutum, meritorumque coronae aliquid fulgoris erat addendum, titulum doctoris, quo divus Bernardus jam appellabatur, supremo hujus sanctae Sedis decreto in universa Ecclesia confirmando.

Processus adhibiti ante declarationem.

§. 2. Quamvis autem venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales sacris ritibus tuendis praepositi in ordinario conventu in Quirinali palatio habito die decima octava julii anno millesimo octingentesimo vigesimo nono referente cl. me. cardinali Julio Maria de Somalia jam Sacrorum Rituum congregationi praefecto, petitae confirmationi tituli doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent, Nos nihilominus, suspenso hujusmodi judicio, sanctae hujus Sedis morem servantes, si quid objici posset, id per sanctae fidei promotorem appositis animadversionibus in medium proferri mandavimus. Quibus quum responsiones subjecissent postulatores in ordinario conventu diei decimae septimae julii currentis anni in Quirinalibus aedibus, referente dilecto filio Nostro Placido S. R. E. cardinali Zurla nuncupato Nostro in hac alma urbe vicario in spiritualibus generali, re diutius perpensa, solitisque objectis omnibus, ac ejusdem Sacrorum Rituum congregationis cardinalium sententiis consentientibus, rescriptum pro gratia confirmationis tituli doctoris cum officio et missa de Communi Doctorum, et epistola secundo loco pro Ecclesia universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac literas apostolicas hac desuper re expediri mandavimus.

Tenor declarationis cum concessione missae et officii.

§. 3. Quapropter precibus totius ordinis monachorum Cisterciensium, quibus plures dignitate ac pietate praestantes viri sua studia, ac postulata junxerunt, benigne annuentes, de ejusdem cardinalium congregationis consilio, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, titulum doctoris, quo divus Bernardus abbas est hactenus in dicto ordine, et in aliquibus ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus, ita quidem, ut in universali Catholica Ecclesia semper is doctor habeatur; et in anniversario die festo tum a regulari, tum a saeculari clero celebrando, officium ac missa fiat de Communi Doctorum, et cum epistola secundo loco quae incipit « Justus etc. » cum additione VI. lectionis et martyrologio juxta decretum ejusdem Sacrorum Rituum congregationis. Ac praeterea hujus doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae doctorum, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus, et decernimus.

Concessio indulgentiae plenariae.

§. 4. Tandem, ut christifidelium devotio ad hujus doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui die festo ejusdem doctoris vere poenitentes, et sacramentali confessione praemissa, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint,

et unam ex ecclesiis ordinis Cistercensium a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei devote visitaverint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cnique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc praesentem Nostram concessionem perpetuo duraturam, sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprebendi.

Praeceptum de parendo.

§. 5. Quocirca universis venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis aliarum ecclesiarum praelatis per universum terrarum orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis provinciis, civitatibus, ecclesiis, et dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus ubique locorum, et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, atque mandamus, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides babeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

In festo sancti Bernardi abbatis, et doctoris.

Preces in honorem s. doctoris recitandae.

§. 7. Missa de Communi Doctorum, cum epistola secundo loco, quae incipit: « Justus cor suum ».

Officium pariter de Communi Doctorum cum antiphona « Doctor » in utrisque vesperis. Lectiones I. nocturni de scriptura occurrente, lectiones II. nocturni propriae ut in breviariis, et in fine VI. lectionis addatur ut sequitur.

Pius vero VIII. pontifex maximus ex Sacrorum Rituum congregationis consilio sanctum Bernardum universalis Ecclesiae doctorem declaravit et confirmavit, nec non missam, et officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque indulgentias plenarias quotannis in perpetuo ordinis Cistercensium ecclesias visitantibus die hujus sancti festo concessit.

Lectiones III. nocturni » Vos estis sal terrae »

In martyrologio addatur « Quem Pius VIII. pontifex maximus universalis Ecclesiae doctorem declaravit et confirmavit.

Decretum

Publicatio decreti.

Suprascriptam additionem VI. lectioni faciendam in officio s. Bernardi abbatis, et doctoris, et martyrologio Romano ab eminentissimo et reverendissimo d. cardinali Placido Zurla relatore causae, et r. p. d. Virgilio Pescetelli sanctae fidei promotore revisam, sanctissimus dominus Noster Pius VIII. pontifex maximus adprobavit, atque in supradicto officio et martyrologio in universali Ecclesia legi posse concessit. Die vigesima tertia julii millesimo octingentesimo trigesimo.

C. M. episcopus Praenest. cardinalis Pedicinius praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

J. G. Fatati S. R. C. secretarius.

CXXVI.

Dat. die 21. aug. 1830. Ann. II.

Confirmatio erectionis cappellaniae erectae a ducissa Castri de Sangro patricia Neapolitana in subrogationem alterius illegaliter ac saeculari auctoritate suppressae.

Venerabili fratri Episcopo Aversano

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper curavit dilecta in Christo filia Marianna Loffredo ducissa Castri de Sangro nuncupata patricia Neapolitana, ac conscentiae suae securitati consulere, et hujus sanctae Sedis suasionibus annuere cupientem, cum ipsa certo rescivisset, inter bona haere-

ditaria bo. me. principis Carditi, cui nomen Venceslaus Loffredo, quamdam terrae quantitatem vulgo *moggia due e mezza* circiter existere, quae licet vi legum tunc vigentium fuerit patrimonio ejusdem principis adjudicata, ad ecclesiasticam tamen cappellaniam animarum purgantium loci Casapuzzano nuncupati istius Aversanae dioecesis pertinebat, aliam cappellaniam in titulum ordinationis adsignandam, cum oneru unius sacrificii in qualibet hebdomada, in loco Carditello appellato praefatae dioecesis erigendam curasse. Ne autem hujusmodi loci immutatio obstet praedictae cappellaniae institutioni, seu novae erectioni, et redintegrationi, suppliciter oratrix a Nobis petiit, ut cappellaniam praefatam modo et furma ab ea erectam ratam validamque declaremus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, accepto testimonio tuo, ex quo Nobis innotuit, res ita sa habere, prout expositae, ac cappellaniam praedictam plurimum loco Carditello profuturam, praefatam uratricem, cujus religionem et pietatem plurimum commendamus, singulari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas furte incurrerit hujus tantum rei gratia absulventes et absolutam fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porreetis inclinati, tibi, venerabilis frater, per praesentes committimus atque mandamus, ut cappellaniam memoratam ab oratrice ducissa in Carditello erectam validam legittimamque auctoritate Nostra apostolica declares, et ita quidem, ut no va haec erectio alteri cappellaniae loci Casapuzzana aequiparetur in omnibus et illius piae satisfaciat fundationi.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec praecipimus atque mandamus, Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione matuiriarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutiunibus et ordinationibus, nec non lege quacumque fundationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima augusti millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXXVII.

Dat. die 7. sept. 1829. Anno II.

Confirmatio electionis superioris collegii sancti Ferdinandi fratrum ordinis sancti Francisci de observantia provinciae Mexicanae.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis expositum est, ob notissimas Mexicanae provinciae rerum vicissitudines tam exiguus sit fratrum ordinis Minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum missionibus addictorum numerus, ut opus fuerit elapso anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo die septima decembris, huic necessitati apostolica auctoritate consulere facultatem eligendi superiorem collegii sancti Fordinandi eorumdem fratrum Minorum ex quocumque alio collegio liberu tribuendo; quumque vi hujus facultatis dilectus filius Joseph Maria Gusman collegii missionariorum du Zapopan in custodem seu superiorem praefati collegii sancti Ferdinandi fuerit electus, petitum suppliciter a Nobis fuit, ut electionem praefatam confirmantes, facultatem in posterum, cum necessitas postulaverit renuntiandi superiorem memorati collegii sancti Ferdinandi Mexicanae provinciae quemcumque religiosum virum ad alia collegia missionum Americae pertinentem tribuamus, ac spirituali beneficio fratres laicos nuncupatos ejusdem ordinis in collegio praedicto sancti Ferdinandi Mexicanae provinciae, et in alio de Zacatecas nuncupato degentes prosequamur, indulgendo, ut ipsi in prima missa nocte nativitatis D. N. J. C. celebranda juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae sacram communionem de manu sacerdotis celebrantis sumere valeant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur praefatum Josephum Mariam Gusman, ac omnes quibus praesentes literae favent speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint,

hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, electionem praedicti Gusman in superiorem collegii sancti Ferdinandi Mexicanae provinciae, dummodo rite sit facta, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, ac eidem collegio sancti Ferdinandi durante necessitate praedicta facultatem ad quinquennium tantum nominandi, et eligendi in ejusdem superiorem quemcumque religiosum virum ad alia collegia missionum Americae pertinentem dicta Nostra auctoritate pariter tribuimus, ac praeterea ut fratres laici nuncupati tum in collegio praefato sancti Ferdinandi, tum in alio de Zacatecas nuncupato degentes sacram communionem de manu sacerdotis primam missam nocte Nativitatis D. N. J. C. celebrantis servatis servandis sumere libere, ac licite possint, et valeant dicta auctoritate in perpetuum concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXXVIII.

Dat. die 10. sept. 1830. Anno II.

Facultas peragendi sacras functiones, majoris hebdomadae proprias, et celebrandi missam in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi in earum ecclesia pro sororibus societatis sacratissimi Cordis Jesu civitatis Taurinensis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Taurinensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis curarunt dilectae in Christo filiae sorores societatis sacratissimi Cordis Jesu istius Taurinensis civitatis, sibi in votis esse in earum ecclesia eas peragi posse sacras functiones, quae majoris hebdomadae propriae sunt, ac missam nocte Nativitatis D. N. J. C. celebrari facere cum facultate omnibus in praefata religiosa domo degentibus sacram communionem de manu sacerdotis celebrantis sumendi.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur piis exponentium votis benigne annuere volentes, ac omnes, quibus praesentes literae favent a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, venerabilis frater, per praesentes committimus, ut, si id in Domino expedire censueris sororibus praefatis licentiam et facultatem perpetuis etiam futuris temporibus valituram sacras functiones in majori hebdomada peragendi in earum ecclesia servata generali rubrica, ac sine jurium parochialium praejudicio, nec non missam nocte Nativitatis D. N. J. C. servatis servandis celebrari faciendi, ac sacram communionem de manu sacerdotis celebrantis pariter sumendi cum extensione ad eas omnes personas, quae in dicta regulari domo vitam degunt, auctoritate Nostra apostolica arbitrio, et prudentia tua concedas et indulgeas.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXXIX.

Dat. die 17. sept. 1830. Anno II.

Exemptio monialium s. Clarae civitatis Neapolis a jurisdictione superioris ordinis sancti Francisci, et ordinarii, illarumque subjectio sanctae Sedi, et nuntio apostolico pro tempore.

Venerabili fratri Nostro Petro Francisco Episcopo Portuensi, sanctae Rufinae, ac Cen-

tumcellarum S. R. E. cardinali Galleffi nuncupato Seraphici ordinis patrono.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis. §. 1. Perantiquum nobilissimumque in urbe Neapoli monasterium extat a rege Reberto, atque a regina Sancia anno millesimo tercentesimo decimo e fundamentis extructum primo sanctissimi Corporis Christi, nunc vero sanctae Clarae nuncupatum, ubi semper extitere feminae natalium, ac virtutum splendore praeclarae. Pii religiosique illius conditores, patronatus jure sibi suisque successoribus ibidem reservato, praescriptum voluerunt, ut monasterium sanctae Sedi immediate subjiceretur, atque omni proinde Neapolitani archiepiscopi jurisdictione, visitatione, et auctoritate foret immune. Super haec temporis progressu Romani pontifices Joannes XXII., et Clemens VI. hujusmodi collegium et christianae et civili reipublicae bono admodum utile commendantes, illud suprema eorum potestate probarunt. Quum autem feminae, quae eo in claustro Deo se vovent, sancti Francisci instituta profiteantur S. R. E. cardinalis totius Seraphici ordinis patronus inibi ordinaria semper usus est jurisdictione. At quoniam ex concilii Tridentini decretis, ac posterioribus apostolicis constitutionibus delegata jurisdictio piis in locis etiam exemptis, et sanctae Sedi immediate subjectis exercenda, episcopis subinde fuit collata, hinc crebrae interdum ortae sunt disputationes, quibus vel in ipso monasterio graves intus perturbationes excitatas, nec tamen unquam penitus extinctas fuisse constat. Et sane veteres iterum controversiae nuper prodiere, quas fel. rec. Leo XII. decessor Noster vix dum cognovit, statim in id incubuit, ut omne inde dissidii periculum removeretur, itemque cardinalibus tum ordinis Seraphici patrono, tum Neapolitano archiepiscopo sua cuique jura libere afferendi potestatem impertitus, ea se mente esse aperuit, ut quamlibet hac de re quaestionem perpetuo dirimi vellet. Cum vero non sine magno bonorum omnium dolore universae Catholicae Ecclesiae immatura morte praereptus fuisset opus infectum reliquit. Quapropter Nos in Petri cathedram, licet immerentes, divini numinis voluntate, superiori anno evecti, omnem profecto curam diligentiamque contulimus ad rem tanti momenti perficiendam; quam ut maturo praehabito examine ad optatum exitum perduceremus, peculiaris congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilium adhibuimus, qui rerum omnium adjunctis accurate perpensis, quid ipsi idcirco sentirent Nobis libere patefecerant. Jam vero quum ejusdem congregationis sententiam probaverimus, certis etiam de causis eo adducti fuimus, ut oppurtunum duxerimus primaevas fundationis leges eo in monasterio ad pristinam vim, et observantiam revocare, rationemque constituere, quae novas disputationes et dissentiones in aevum arceat, simulque ordinem, ac tranquillitatem illius sacrarum virginum collegii perpetuo sartam tectamque tueatur.

Tenor concessionis. §. 2. Plena igitur auctoritate Nostra apostolica, motu proprio, ac certa scientia declaramus, statuimus atque decernimus, ut omnimoda in posterum super commemorato sanctae Clarae monasterio jurisdictio ad hanc sanctam Sedem unice pertineat, adeoque cardinalis archiepiscopus, ejusque successores ab omni deinceps actu jurisdictionis etiam delegatae ibidem exercende se se abstineant. Et quamvis privilegia a praedecessoribus Nostris super ordinaria illius religiosae domus jurisdictione Seraphici ordinis patronis concessa plane integra manere volumus, praecipimus tamen, ut utraque jurisdictio, de quibus agitur, quemadmodum in praesens, ita et in posterum per Nostrum apostolicum penes regem utriusque Siciliae regni in tempore nuncium exerceatur, uti in aliis piis locis ejusdem civitatis huic sanctae Sedi immediate subjectis jamdiu servari constanter solet. Interea vero dum hujusmodi a Nobis inita consilia patefacimus, quibus singuli quique, quorum interest, diligentissime pareant, non dubitamus te, venerabilis frater, pro viribus curaturum, ut haec omnia debitam executionem nanciscantur; tibique propterea religiosos viros, qui monasterii, et ecclesiae sanctae Clarae curam habent, monendos committimus, ut in iis omnibus quaecumque opus fuerint nuncium adeant apostolicum, qui pro sua auctoritate et prudentia sedulo prospiciat.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Haec volumus, atque sancimus, decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus concilii Tridentini decretis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non commemorati ordinis sancti Francisci etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, ac personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 24. sept. 1830. Anno II.

CXXX.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui statis diebus visitaverint ecclesiam sanctae Theresiae monialium ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo Barchinonensis dioecesis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. De salute Dominici gregis curae Nostrae divinitus commissi paterna charitate solliciti, coelestes indulgentiarum thesauros, quibus illecti ad ecclesias et pia loca frequentanda, et pietatis opera exercenda incitentur libenter erogamus.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii officiales confraternitatis seu congregationis vulgo de' Schiavi sanctissimi Sacramenti in ecclesia sanctae Theresiae monialium ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo excalceatarum nuncupatarum civitatis Barchinonensis canonice ut asseritur erectae, quod cum ipsi officiales, et confratres confraternitatis hujusmodi dominica infra octavam Conceptionis Beatae Mariae Virginis votum defendendi idem mysterium renovare, ac solemne octiduum in honorem sanctissimi Eucharistiae sacramenti quotannis celebrare valeant, iisdem diebus presbytero memoratae confraternitati seu congregationi adscripto facultatem impertiendi dictis confratribus benedictionem apostolicam cum plenaria indulgentia, et generali absolutione a Nobis concedi ardentissime desiderant.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur eorumdem officialium et confratrum zelum et vigilantiam plurimum in Domino commendantes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus praedictis vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui in dicta ecclesia statis diebus omnia praemissa opera peregerint, ibidemque pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem cum apostolica benedictione per memoratum confratrem sacerdotem impertiendam misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpe-

tuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 24. sept. 1830. Anno II.

CXXXI.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui recitationi sancti Rosarii, et exercitio spiritualium meditationum interfuerint in ecclesia sanctae Theresiae monialium ordinis sanctae Mariae de Monte Carmelo civitatis Barcbinonensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum et tenor concessionis. §. 1. Ex commissae Nobis coelitus dispensationis munere christifideles ad christianae charitatis atque pietatis opera spiritualium gratiarum donis incitare cupientes, ac supplicationibus dilectorum filiorum officialium et confratrum confraternitatis vulgo de' Schiavi sanctissimi Sacramenti in ecclesia sanctae Theresiae monialium ordinis Beatae Mariae virginis de monte Carmelo excalcestarum nuncupatarum civitatis Barcbinonensis, canonice ut asseritur erectae, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui recitationi sanctissimi Rosarii, ac exercitio spiritualium meditationum singulis diebus in memorata ecclesia interfuerint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, nec non presbytero sacra praemissa peragenti, plenariam semel tantum pro quolibet mense per unumquemque christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus. In singulis vero totius anni diebus iisdem christifidelibus saltem contritis singula praemissa peragentibus biscentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 24. sept. 1830. Anno II.

CXXXII.

Facultas emphyteuticandi domum de proprietate ecclesiae cathedralis Viglevanensis favore fratrum Porta ejusdem loci.

Venerabili fratri Episcopo Viglevanensi.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper est nomine canonicorum collegii istius cathedralis ecclesiae Viglevanensis, quod administrator est massae piorum legatorum ejusdem ecclesiae, eam massam possidere in majori foro istius civitatis aedium partem, quae constat apotheca, atque alia apotheca posteriori proximoque conclave cum puteo, nec non contignatione superiore, ejusque adjunctis, et a qua redeunt quotannis libellae quingentae supra octoginta Mediolanensis monetae. Verum quum dilecti filii Joannes, et Cajetanus Porta germani fratres sese obtulerint earumdem aedium perpetuam emphyteusim pacisci annuo canone libellarum biscentum quinquaginta, persoluta etiam summa libellarum termille tercentum ejusmodi monetae titulo primis, et cum aliis conditionibus proficuis; quumque ipsi canonicorum collegio haec oblatio utilis admodum videatur suppliciter a Nobis ejus nomine petitum est, ut ad eum contractum ineundum apostolicam Nostram opem veniamque largiamur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur istius cathedralis ecclesiae canonicorum collegium, nec non alios quibus hae literae favent peculiari beneficentia pro-

sequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de caussa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, ac postquam compereris hujusmodi contractum in evidentem causae piae utilitatem cedere auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio tuaeque conscientiae monito facultatem facias, cujus ope a canonicorum collegio super aedium parte de qua agitur emphytheuticus contractus possit iniri cum germanis fratribus Porta ad lineam masculinam tantum in infinitum, constituto annuo canone in summa libellarum biscentum quinquaginta, nec non caeteris conditionibus quas commemoravimus. Quantum vero ad canonem cavebis, ut pendatur liber et expers omnium onerum, quaeque ordinaria sint, vel extraordinaria, et sive rebus sive personis imposita, vel imponenda, atque inter illius domus onera praecipuum ducatur, mandabisque pro solutione canonis trium annorum, et aliis oneribus implendis dari ab emphyteuta fidejussionem idoneam, vel canoni illi, et aliis oneribus alium praeterea fundum subjici. Insuper curabis, ut fines domus in emphyteusim traditae accurate demonstrentur in solemnibus tabulis hoc de contractu a publico scriba conficiendis, atque illis inseratur domus descriptio linearis, quam plantam appellari mos est. Praedicta autem summa titulo primi ingressus ab iisdem germanis fratribus Porta persolvenda in commodum cedat ejusdem massae piorum locorum, ex eaque illi fundus parabitur tutus, ac frugifer sub poenis contra ecclesiarum bona alienantes impositis si secus fiat, omnino incurrendis. Denique contractum muniet illis omnibus conditionibus, quas acta oblationis habent, vel ex consuetudine hujusmodi contractibus adjici solent.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus atque mandamus, non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. super divisione materiarum, ac Pauli II. aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus vero, ut quomodocumque cessante emphyteusi praefata, illico emphyteuticus fundus cum adnexis rebus ac juribus ad massam piorum legatorum cathedralis istius ecclesiae revertatur, eaque cedant solo, per quae fundus melior fuerit effectus, quin renovatio concessionis hujusmodi, si quis illam urgeat, bono juri consentanea possit haberi. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXXXIII.

Dat. die 24. sept. 1830. Anno II.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui interfuerint catechismo in ecclesia sanctae Theresiae monialium ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo excalceatarum civitatis Barchinonensis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus confratres confraternitatis vulgo de' Schiavi sanctissimi Sacramenti in ecclesia sanctae Theresiae monialium ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo excalceatarum nuncupatarum civitatis Barchinonensis canonice, ut asseritur, erectae spirituali exercitio catholici catechismi per tres dies in qualibet hebdomada quadragesimae non sine magno animarum christifidelium fructu quotannis vacare consueverint, seu intendunt; Nos qui probe scimus, quantopere exercitium hujusmodi conducat dirigendis in viam Domini et confirmandis in illa christifidelium mentibus, eorum devotionem, qui operi adeo pio et salutari in posterum interfuerint, coelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis excitare volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, presbytero instructori, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui per singulas quadragesimae hebdomadas memorato catechismo interfuerint, ac in ultimo ex praefatis diebus vere

poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero diebus hujusmodi dicto presbytero, ac eisdem christifidelibus saltem contritis reliqua praemissa peragentibus biscentum dies de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus: quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo trigesimo; pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 24 sept. 1830. Anno II.

CXXXIV.

Concessio usus mitrae episcopalis facta priori monasterii sancti Laurentii villae dell' Escorial in Lusitania.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacrorum insignium additamenta petentibus aliquando morem gerimus ea sane de causa, ut sacris in templis splendidier sit Dei cultus, atque oratores externa decora adepti solliciti curent internis virtutibus nitere, ac ad divina ministeria accurate obeunda admoto veluti stimulo excitentur.

Expositio precum.

§. 2. Hinc quum acceperimus dilectum filium Josephum a Cruce e sacra sancti Hieronymi familia priorem monasterii sancti Laurentii villae « dell'Escorial » ejusque territorii sancti Thomae « del Puerto » atque abbatem « sanctae Mariae la real de Parraces » qui iisdem in locis sanctae Sedi immediate subjectis jurisdictionem quasi episcopalem exercet, impense cupere mitra uti, quemadmodum religiosi viri ordinis sancti Hieronymi, tum Romae, tum in Lusitania perfruuntur, haud gravati inducimur ejus ut votis obsecundemus. Quod quidem eo facilius illi tribuendum duximus cum venerabilis frater Franciscus archiepiscopus Athenarum Noster, et apostolicae Sedis ad regem catholicum nuncius ipsum priorem Nobis commendaverit, idemque rex sua etiam studia, maximi semper a Nobis habenda, benigna contulerit.

Tenor concessionis.

§. 3. Peculiari igitur beneficentia eum prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, auctoritate Nostra apostolica concedimus, et indulgemus, ut ipse dilectus filius Joseph a Cruce, quamdiu prioris et abbatis locorum, de quibus facta est mentio munus gerat, non tamen ejus successores in ecclesiis tantummodo intra limites suae jurisdictionis libere ac licite in ecclesiasticis functionibus mitram possit gestare, ea prorsus ratione qua iidem religiosi viri ordinis sancti Hieronymi hic in urbe atque in Lusitania hujusmodi privilegio perfruuntur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernimus autem has litteras firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa quae expressa sunt ad praefinitum tempus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non commemoratae sacrae s. Hieronymi familiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud san-

ctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava septembris millesimo octiogentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 28. sept. 1830. Anno II.

CXXXV.

Facultas tributa vicario generali episcopi Syracusani confirmationis sacramentum infantibus loco episcopi conferendi.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut Nobis exponi curavit venerabilis frater episcopus Syracusanus, tanta sit cujusdam epidemici morbi in civitate Syracusana grassantis vis, ut plures infantes illa absumuntur, ac proinde memoratus episcopus, qui diuturnis valetudinis incommodis est obnoxius, et dioecesis distentus curis, non sine gravi difficultate plures in dies infantes morti proximos confirmatione inaugurare possit, suppliciterque a Nobis petierit, ut suo vicario in spiritualibus generali dilecto filio Salvatori Amorelli presbytero, et canonico illius cathedralis ecclesiae, facultatem conferendi sacramentum confirmationis durante saltem epidemico praefato morbo, benigne ei concedamus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur episcopi oratoris votis benigne annuentes, praedictumque vicarium speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praefato presbytero Salvatori Amorelli, durante morbo epidemico praedicto, et intra limites Syracusanae dioecesis, ac in exercitio muneris vicariatus generalis facultatem extraordinariam, et potestatem conferendi sacramentum confirmationis, adhibito oleo per catholicum antistitem, gratiam, et communionem Sedis hujus apostolicae habentem benedicto, pueris morti proximis, lustralibus aquis ex S. R. E. ritu prius ablutis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 28. sept. 1830. Anno II.

CXXXVI.

Facultas tributa magistro caeremoniarum ecclesiae metropolitanae s. Laurentii Genuae gestandi tunicam violaceam cum globulis et fissuris nigris.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum indulgentia pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui conspicuis in templis Deo operantur, ut externa decora adepti magis illi conentur internis virtutibus assitere et ad sacra ministeria accurate implenda benignitatis etiam apostolicae incitamento impellantur.

Expositio precum. §. 2. Expositum Nobis est, canonicorum collegium metropolitanae ecclesiae s. Laurentii Genuae ex pia testatoris voluntate caeremoniarum praefectum habere, qui illi praesto esse debet in omnibus canonicorum functionibus, ea sacra in aede peragendis, tum alibi cum illud rei divinae dat operam. Vestes quibus hic caeremoniarum praefectus adhuc usus est, similes omnimode illis erant, quas caeteri presbyteri ejusdem ecclesiae deferre solent, ex quorum numero et ipse erat. Nunc vero quum alius ex alio ordine fuerit adlectus, quod quidem etiam in posterum potest contingere, ideoque ei vetitum sit illorum vestes induere, suppliciter a Nobis nomine canonicorum collegii istius metropolitanae ecclesiae petitum est, ut eorum caeremoniarum praefecto facultatem impertiri velimus tunicam violaceam cum globulis, et fissuris nigris deferendi.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur accepto testimonio dilecti filii superioris vicarii capitularis istius ecclesiae ex quo Nobis innotuit, res ita se habere prout expositae, eodemque temporis momento

vetustati ac dignitati tam illustris templi, ejusque sacrorum rituum splendori consulere cupientes, alacri libentique animo hujusmodi votis annuimus. Quapropter singulos quosque, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes at absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut caeremoniarum praefectus metropolitanae ecclesiae Genuensis, qui modo est, et quicumque in posterum erit, dum sacris illius canonicorum collegii functionibus tam eadem in ecclesia quam alibi peragendis inserviet, tunicam violaceam cum globulis, at fissuris nigri coloris gestare libere et licite valeat, ipsumque caeremoniarum praefectum hac super re a quoquam quavis auctoritate, vel superioritate fungente numquam perturbari, inquietari, aut molestari posse decernimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava septembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 1. oct. 1830. Anno II.

CXXXVII.

Segregatio partis redditunm sodalitatis sancti Hieronymi redemptionis captivorum civitatis Lucensis, illorumque conversio in commodum ecclesiae sancti Frigdiani ejusdem civitatis.

Pius PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Decori domus Dei consentaneum est, ut Romani pontifices sollicitudinem intentam suscipiant, qua sacrae aedes apte patrimonio instruantur atque exornentur.

Expositio precum.

§. 2. Expositum Nobis nuper est nomine dilectissimi in Christo filii Nostri Caroli Aloisii Borbonii Lucae ducis jam inde a mense aprilis anno millesimo octingentesimo vigesimo, auctoritate apostolica cleri et ecclesiae Lucensis rationibus apte dispositis, etsi cujuslibet paroeciae redditibus provisum fuisset, insigni tamen basilicae s. Frigdiani illius urbis tenuis attributus fuit census, qui tum quotidianis sumptibus, tum illius ampli aedificii reparationibus, sacraeque suppellectili nequaquam satis est. Hinc sacrum id templum ingenti aere alieno est devinctum, ac nunc a creditoribus etiam legum praesidio urgetur, qui tenuia ejus bona sequestro dare minitantur. Miseranda sane hujusce basilicae conditione Lucae dux vehementer permotus nihil intentatum reliquit una cum venerabili fratre Lucense archiepiscopo, ut aliquid auxilii illi afferretur; verum quum omnia adhuc irrita evenerint, insequenti ratione optatum exitum assequuturum confidit. Extat nimirum Lucae sodalitas a pietate redemptionis titulum adepta, atque in ecclesia s. Hieronymi rite constituta. Ipsa praecipue eo spectabat ut Lucenses e barbarorum servitute vindicaret, ideoque mille scutatos nummos etiam nunc servat, quibus, si opus fuerit, illis praesto esse possit. Ex hujus s. Sedis concessione cruciatae privilegio potitur, videlicet facultatem tribuere potest utendi lacticiniis diebus ab Ecclesia vetitis, et eleemosynam idcirco ab unoquoque porrectam colligit. Hujusmodi autem pecunia ita collecta in quatuor dispertitur partes, quarum una impendenda est in sacrae aedis s. Hieronymi reparationem et cultum, altera in dotes sodalium filiabus constituendas; tertia in dotes caeteris virginibus Lucensis dioeceseos; quarta tandem in sacras missiones per loca Lucensis ditionis procurandas. Suppliciter ergo ipse dux a Nobis postulandum curavit, ut Nostra indulgentia ac venia ex dictis redditibus ejusdem sodalitatis, itemque ex summa mille nummorum scu-

tatorum Lucensibus a captivitate eripiendis addicta, necessitatibus basilicae s. Frigdiani omnino consulamus. In votis enim est, ut ex hoc utroque capite suppeditetur annua summa centum quinquaginta nummorum scutatorum, qua nimirum ea indiget ecclesia, quemadmodum ex accepti expensique tabulis aperte constat. Nos igitur perspectis argumentis, quibus haec sententia confirmabatur, ac re mature perpensa, splendori ac dignitati illius templi prospicere duximus, votis suae regiae celsitudinis benigne annuendo.

Tenor concessionis.

§. 3. Itaque auctoritate Nostra apostolica hisce literis statuimus, ut basilica s. Frigdiani urbis Lucae annuo augeatur censu nummorum scutatorum centum quinquaginta. Quapropter mandamus, ut sodalitas, cui nomen a pietate redemptionis mille scutatos nummos quos ipsa retinet liberandis captivis aliquo licito tutoque contractu ita occupet, ut ex iis redire possint quotannis scutati nummi quinquaginta. Praeterea mandamus, ut eadem sodalitas ex aere collato in cruciatae privilegiis impertiendis detrahat quotannis summam nummorum scutatorum centum. Utramque vero summam, quae insimul sumptae conficiunt scutatus nummos quinquaginta supra centum a commemorata sodalitate ecclesiae sancti Frigdiani in singulos annos persolvi jubemus. Hoc porro consilio, et voluntate Nostra nolumus, finem cui sodalitas spectabat immutari, neque pios usus, in quos praefati redditus impendebantur, intermitti, ex aere namque, quod singulis annis e cruciatae alaemosynis illa percipit, dempta etiam summa nummorum scutatorum centum, haud parum reliquum est. Solummodo ergo eidem sodalitati facultatem facimus, de consensu tamen archiepiscopi imminuendi expensas, atque etiam subsidia pauperibus virginibus ac presbyteris verbum Dei huc illuc per Lucensem ditionem praedicantibus afferenda. Id autem eo facilius concedendum existimavimus, quippe accepimus, suam regiam celsitudinem pro sacris obeundis missionibus nuper dedisse operam, ut religiosa domus clericorum regularium congregationis sanctissimae Crucis et Passionis in civitate Lucensi institueretur ac censu instrueretur. Quo denique omnia ex sententia succedant, Lucensis in tempore archiepiscopi curae erit invigilare, ut sodalitas suis redditibus expleto primum onere, cui subjectam esse decrevimus, quidquid restat in veteres pios usus provide dispertiat, habita semper ratione rerum ac temporis. Insuper si forte aetatis progressu contingat, ut aliquis Lucensi ditioni subditus in servitutem fuerit adductus, quod Deus avertat, illi quoque misero pro viribus consulat. Caeterum sodales a pietate redemptionis in hac pecuniae partitione archiepiscopi mandatis ac jussis acquiescere omnino debeant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Haec concedimus atque mandamus decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et eorum causa quas expressa sunt hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legis fundationis ejusdem basilicae ac sodalitatis praefatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima octobris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 1. octob. 1830. Anno II.

CXXXVIII.

Prorogatio ad decennium privilegii tributi praesuli Angelo Maii primi custodia Inclytae bibliothecae Vaticanae imprimendi lucubrationes habitas de libris, et codicibus in illa asservatis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Graves in re literaria labores dilecti filii magistri Angeli Maii primi a bibliothecae Nostrae Vaticanae custodibus, ubi fel. rec. Pius VII. praedecessor Noster rescivit, ac certior factus, eum in multiplicis argumenti scriptis a diuturna oblivione vindicandis plures jam annos insudare, vel jam repertis operibus, aut eorum fragmentis, suas adscribere animadversiones, ut explicatiora, atque ornatiora evaderent, haud potuit ejus ingenii praestantiam atque in literarum commoda intentam industriam, non plurimi facere, suaque gratia munire. Quum enim propositum esset erudito viro quascumque in Vaticana Nostra bibliotheca, vel ubivis locorum repperisset antiquitatis doctae reliquias, sua impensa in lucem edere, sibi vero verendum videretur, ne paullo post susceptam ab eo hujusmodi lucubrationem veterum editionum, alii rursus excudendas susciperent, ipse pontifex opportune providendum, ac praecavendum censuit, ne laborum emolumento fraudaretur, vel potius detrimentum acciperet. Vetuit igitur atque interdixit per suas apostolicas literas annulo piscatoris obsignatas, ac datas die decima secunda julii anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo typographis quibusvis pontificiae Nostrae ditionis, ne per decennium a prima illa impressione veteris monumenta doctrinae, servatis censurae juribus ab eo primum edita, sive integra, sive non, et sive graeco, sive latino, sive etiam etrusco sermone exarata, neve eorum operum partem aliquam praelo subjicerent, aut imprimendam curarent; bibliopolis vero, ne alias eorumdem operum editiones venales haberent aut aliis vendendas traderent, nisi idem ipse dilectus filius magister Angelus Majus facultatem tribuerit. Voluit praeterea, ut qui adversus privilegium hoc fecerit, librorum typorumque amissione multaretur, et nummis scutatis aureis quingentis monetae aerario Nostro probatae; quae quidem multa Angelo Majo omnino tribuenda addirendaque foret. Denique jussit, omnes, qui in eadem Nostra ditione jus dicunt, et penes quos ea est procuratio, in violatores hujus privilegii, si qui fuerint, severitatem expromere, statutas poenas sontibus infligere, ipsi Angelo Majo ope omni praesto esse, ut jura quovis optimo ejusmodi concessione perfrueretur. Quum autem privilegium a praedecessore Nostro concessum post decennium cujuslibet a prima editione operis finem haberet, ipsi Angelo Majo gratum acceptumque fore Nobis significatum est, si ad simile temporis spatium, post elapsum singularum editionum decennium, privilegium illud benigne protendere velimus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur qui liberalibus favemus disciplinis, ac beneficiis libenter afficimus, quos in illis excolendis Catholicae religioni non parum prodesse conspicimus, alacri libentique animo indulgentiae Nostrae testimonium tam claro doctoque viro expromere statuimus. Quapropter suprema potestate Nostra hisce literis edicimus, atque mandamus, ut privilegium, de quo agitur a Pio VII. praedecessore Nostro suo diplomate magistro Angelo Maio concessum omni omnino ex parte ad aliud decennium prorogetur, ita ut commemorata ejus opera typis vel jam vulgata, vel vulganda nisi post vigesimum annum a prima editione, nemini in pontificia Nostra ditione degenti imprimere aut vendere liceat, nisi auctore assentiente; secus poenis ut supra latis luendis plectendus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec volumus atque decernimus non obstantibus legibus, privilegiis, ac pontificiis sanctionibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima octobris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 18. nov. 1830. Anno II.

CXXXIX.

Facultas tributa custodi pro tempore collegii missionariorum ordinis minorum sancti Francisci de observantia Excalceatorum in Lusitania augendi numerum fratrum, et eis super aetate dispensandi.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius Antonius a Jesu missionarios apostolicus fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia Excalceatorum nuncupatorum in Lusitania, per fel. rec. Leonem pp. XII. decessorem Nostrum cognita fidelium utilitate, aliisque causis inspectis, in Interamnensi Lusitani regni provincia, et in ea praesertim parte quae Mons sanctae Mariae Magdalenae prope Bracharum appellatur, novum collegium seu seminarium vel conventum missionariorum ejusdem ordinis erectum vel erigendum approbatum fuisse, certis modo, et forma in suis apostolicis in simili forma brevis die vigesima septima maji millesimo octingentesimo vigesimo octavo datis literis expressis, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus. Cum autem, sicut asseritur, collegium seu seminarium missionariorum hujusmodi alteri sancti Antonii de Varatojo ejusdem ordinis in regno Lusitano existenti sit modo et instituto perfecte consonum, opportunum proinde duxit praefatus orator, eas omnes facultates quae per fel. rec. Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum, suis apostolicis die quarta decima augusti millesimo septingentesimo quadragesimo septimo datis literis, quarum initium « *Pro suprema etc.* » collegio seu seminario praefato de Varatojo concessae sunt, quarum vi illius custos vulgo guardiano pro tempore non solum numerum fratrum suorum augere, verum etiam super eorumdem aetate dispensare posset, ad memoratum collegium Montis s. Mariae Magdalenae Falperra nuncupatum Bracharensis dioecesis per Nos pariter extendi.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur oratorem, ac omnes quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis propagandae fidei praepositorum consilio, memorato collegio seu seminario missionariorum Montis s. Mariae Magdalenae Falperra nuncupato praedicti ordinis facultates memoratas alias per Benedictum praedecessorem Nostrum alteri collegio seu seminario s. Antonii de Varatojo tributas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur; et ita, ut illius custos pro tempore numerum fratrum augere, et super eorumdem aetate, si necessitas id exigat, dispensare valeat, servata in reliquis forma et dispositione literarum Benedicti et Leonis praedecessorum Nostrorum, aliarumque constitutionum apostolicarum collegia seu seminaria missionariorum hujusmodi respicientium.

Derogatio contrariorum. §. 3. Haec concedimus, non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona novembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXL.

Dat. die 23. nov. 1830. Anno II.

Confirmatio cessionis factae a rege Hispaniarum bonorum prioratus de Acoba nuncupati, favore ecclesiae cathedralis Lucensis.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum, sicut Nobis expositum est nomine dilectorum filiorum capituli cathedralis ecclesiae Lucensis, pia et antiqua vigeat in dicta ecclesia consuetudo sanctissimum Eucharistiae sacramentum die noctuque palam expositum venerandi, quumque ob notissimas rerum perturbationes, bellorumque strepitum, hostilesque aggressiones pluribus Hispania fuerit obnoxia malis, nec immunia facta templa sancta Dei, et ecclesia cathedralis praedicta, imminutis ejus redditibus, a memorata pia consuetudine certe destitisset, nisi religio et liberalitas catholici regis pio huic operi opem tulisset integrum prioratum de Acoba nuncupatum, ac decimam omnium dignitatum, praebendarum, portionumque, quam ab ipsa ecclesia cathedrali memoratus rex, ex concessione prout asseritur, fel. rec. Pii

VI. praedecessoris Nostri percipiebat, perpetuo fabricae ejusdem ecclesiae concedendo. Ut autem hujusmodi concessio valida sit, et canonicis sanctionibus consentanea, nomine ejusdem capituli petitum fuit a Nobis, ut quod ad optatum effectum conducere valat, auctoritate Nostra apostolica decernamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur necessitati ecclesiae consulere, ac votis capituli annuere, ac piae catholici regis voluntati suffragari volentes, ac oratores et omnes quibus praesentes literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, accepto testimonio ordinarii Lucensis ex quo Nobis innotuit, res ita se habere prout expositae, integrum prioratum de Acoba nuncupatum, ac decimam omnium dignitatum, praebendarum portionumque, vulgo *fondo Pio Beneficial*, modo et forma a memorato Pio praedecessore Nostro catholico regi concessam, auctoritate Nostra apostolica vi praesentium fabricae praefatae cathedralis ecclesiae Lucensis perpetuo attribuimus, et ita, ut fructus hujusmodi redditus ejusdem fabricae sint, et in cultum et honorem augustissimi Sacramenti perpetuis futuris temporibus vertantur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Haec concedimus atque praecipimus, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia novembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 23. nov. 1830. Anno II.

CXLI.

Confirmatio privilegii et indulgentiarum jam concessarum Petro Bombelli incisori aerario pro publicatione stationum Viae Crucis, favore filiorum, et haeredum illius, quod eamdem publicationem continuare constituerunt.

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis nomine dilectorum filiorum Joachimi et Philippi germanorum fratrum Bombelli de urbe expositum est, eorum genitor bo. me. Petrus Bombelli incisor aerarius da spirituali illorum christifidelium consolatione sollicitus, qui quatuordecim Viae Crucis stationes in ecclesiis, seu publicis oratoriis rite expositas non habeat, vel personaliter visitare nequeunt, stationes ipsas in uno libello exculere, aereque imprimere curaverit, fel. rec. Pius VII. praedecessor Noster fideles universos stationes hujusmodi sic impressas pie ac devote recolentes omnibus, et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus, et spiritualibus gratiis, quae ab hac apostolica Sede pro stationes hujusmodi publice, et rite ereetas visitantibus concessae sunt benigne locupletavit; quum autem hujusmodi libelli exempla, quae dicto Petro Bombelli vivente, fuerint impressa, innumeris defecerint postulatis, et in dies ab omnibus orbis partibus avidius exposcantur, praedicti fratres Bombelli quibus sunt ex paterna haereditate eaedem Viae Crucis in aere incisae stationes, suppliciter a Nobis petierunt, ut eumdem libellum modo, et forma superius expressis, denuo ab eis in posterum typis committendum, iisdem ditemus privilegiis, et gratiis, quae per Pium praedecessorem Nostrum, eorum genitore supplicante, apostolicis suis in simili forma brevis die decima januarii millesimo octingentesimo decimo quarto datis literis concessa sunt.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis eorumdem fratrum votis quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus stationes Viae Crucis a memorato Petro incisas, et in libello a a germanis fratribus Joachimo et Philippo Bombelli in posterum typis denuo committendo impressas pie ac devote contemplantibus indulgentias tam plenarias, quam partiales, aliasque spirituales gratias pro stationes hu-

jusmodi ie quacumque ecciesia, aut aiio loco publice expositas visitantibes jam aiias impertitas, dummodo in reliquis injunctà pro iiiis consequendis rite expieverint, ac dummodo ie unoquoque libeiii hujusmodi exempio deeratnm moderni, at pro tempore existantis ministri, vei vicarii geeeralis ordinis Minorum sancti Franciscl de observantià nuncupatorum, vel commissarii generalis famiiiaa Cismontanae, aut si exempia praefata oiira montes traesmittantur, decrotem bojusmodi a procuratora generaii dicti ordinis, vai ab officiaii euriae eitramontanae praepponater, firmisque deseper remanentibos ipsius ordinis privilegiis, auetoritate apostoiica tenora praosentium communicamus, tribeimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Noe obstantibus, qusteees opus sit, canceiiariae apostoiicao reguiis de eon conaedendis induigentiis ad instar, aiiisque constitotionibes, et ordinationibes apostoiicis, caeterisqee coetrariis quibuscemque. Datum Romae apud saectam Mariam Majorem sub annuio piscatoris die vigesima tertia eovembris miiiesimo octiegentesimo trigesimo, pontificatus Nostri aeeo secundo.

Dat. die 26. nov. 1829. Anno II.

CXLII.

Prorogatio facuitatum, et priviiegiorum jam concessorum ministro generaii ordinis fratrum Minorem sancti Francisci de observantia famiiiae uitramontanao.

Dilecto fiiio Ludovico Ygiesias fratrum ordinis Minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum ministro generaii.

Pius PP. VIII.

Diiecte fiii,
saiotem et apostoiicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Eam fratrom ordinis Minorom s. Francisci de observantia nuncepatorom non exigusm partem, quae reiigiosos viros uitramontanae compiectiter famiiiae, luetuosis regnorum Hispaniarum perturbationibus exagitatam nondum ad pristinum regularis observantise ordinem consuetis ministri generalis muneris quo fungeris, facultatibus adduci potuisse accepimus; tequo proinda, qui omni studio, at soiiicitudina malis adbue vigentibus opportune mederi desideras enixis precibus a Nobis axposcara, ut te novis apostoiicis facuitatibus fuiciamos, visitatoris, et commissarii apostoiici uitramontanae famiiiae praefatae munus tibi committendo.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ultramoetaeae familiaa praedictae necessitatibus consuiere, tuisqoe piis votis beeigno aonuere volentes, ac praa ocelis habentes facuitates concessas tum per fai. rec. Clementem XIII. praedecessorem Nostrum pro famiiia Cismontana bo. me. Paschaii a Varisio tene commissario geueraii, tom per fei. rec. Pium VII. et Laonem XII. pontifices praedecessores Nostros bo. me. Cyriiio do Aiameda, ot mueos ministri generalis, at illud vicarii geeoraiis, dum in humaeis ipse ageret, exercenti, teque a qoibusvis excommunicationis et ieterdicti, aiiisqee eceiesiasticis censeris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de caosa iatis si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absoiutum fore censentes, te commissarium apostoiicum et visitatorem totius uitramontanae famiiiaa ordinis Mieorum s. Francisci de observantia nuncupatorum durante munere ministri generaiis, auctoritate apostoiica tenore praeseetiem creamus, facimus, constituimus, deputamus ac deiegamus; ac tibi, praeter et uitra facuitates soiitas et consuetas, ac ratione mueeris ministri geeeraiis tibi spectantes concodimus at impertimur, ot in visitationo provinciarum et conventuum famiiiae uitramontanae per te, see commiasarios visitatores a te deputaodos peragenda, see ilia peracta, ac aliam extra visitationem praefatam quoscemque coeventus eujuscnmque provinciae pro studiis geearaiibus praescribas et assignes juxta datam tibi a Domino prudentiam, et rei necessitatem, de aiio in aiium coevantum tibi opportuniorem visum stodia generaiia bujesmodi permutes, transferas, statuas, et praescribas, eovosque ie iis provinciis, in quibus conventes stediorum hejusmodi nondum aasignati, et fendati feerint, tuo arbitrio assignas, fuades at deputes, ac facultatem novitios supranumerarios in provinciis, ie quibus id eecessitas exegerit recipiendl, et admitteedi concedas, nec non quaecumque comitia pro-

vincialia, quae forsan contra constitutiones ordinis et familiae oltramontanae auctoritate apostolica confirmatas peracta fuisse compereris, confirmes atqoe convalides, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, sanes ac suppleas, ac quamcumque provinciam vigore cujuscumque facultatis inter se divisam, et separatam, deouo unas et iocorpores, aliasqoe dividas, ac separes, ac custudes vulgo guardiaoi inbabiles quavis auctoritate electos amoveas, et alios de novo eligas, et oltra triennium dispensare possis, ac confirmes; aliaque similia utilitatem, bonumque regimen provinciarum, et conventuum praedictorum concernentia, quae per constitutiones ordinis, et apostolica praescripta et per teipsum peragenda, prohibita vetitaque sunt libere, et licite peragere possis et valeas; tibiqoe pariter, ut in capitulis provincialibus quando ministrorum proviocialium et definitorum fit electio, ne eveniat, ut, dum praeses capituli bono provinciae regimini et reformatiooi maxime invigilat, indigni, seu minus idonei, et minus digoi, et ad reformationem omnino inepti, vocem, sive suffragium habentes, malitia temporum sic ferente, eligantur, ac coofirmaodi propunantur, tu solus, quaodo necessitas, booumque dictarum provinciarum regimen, seu utilitas id exegerit, juxta datam tibi a Domino prudentiam, ministros, provinciales, definitores, aliosque officiales una vice in qualibet provincia, in qua capitulum provinciale habendum celebrandumque erit, ante celebrationem capituli generalis ordinis praefati, nominare, et deputare libere ac licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium coocedimus et indulgemus, quam etiam facultatem tuo arbitrio vel augendam vel minoendam tuis commissariis visitatoribus delegandis, juxta rerum et locorum exigentiam, in iis provinciis ad quas accedere nequiveris, tribuere et subdelegare possis, dicta auctoritate impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumqoe judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritom et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit atteotari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et familiae ultramontanae provinciarum et conventuum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscomque tenoribus et formis, ac com qoibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis io genere vel io specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta novembris millesimo octingentesimo trigesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

FINIS.



INDEX MATERIARUM

QUAE

IN HOC NONUS VOLUMINE

CONTINENTUR

C

CARDINALIS

COMMUNICATIO

COMMUTATIO

CONCESSIO

CONCLAVISTA

CONFIRMATIO

CONFRATERNITAS

CONSERVATORIUM

D

DAMNATIO

DAPIFER

DEPUTATIO

DOMUS

DOTATIO

E

ELECTIO

EMPHYTEUSIS

FESTUM

G

GUBERNIUM

I

INDULGENTIA

INDULTUM

INTERDICTIO

JUBILAEUM

JUS

L

LEGATUS

N

NOSOCOMIUM

O

ORATORIUM PRIVATUM

P

PENSIO

PRIVILEGIUM

R

REINTEGRATIO

REFORMATIO

RESTITUTIO

S

SODALITAS

STATUTUM

SUBIECTIO

T

TITULUS

TRIBUNAL

U

UNIO

UNIVERSITAS



INDEX RUBRICARUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUAE

IN HOC NONO VOLUMINE

CONTINENTUR

PIUS VIII.

ANNO I.

ANNO II.



INDEX VOCABULORUM INITIALIUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUAE

IN HOC NONO VOLUMINE

CONTINENTUR





